BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XL
H
41
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI LUDOVICI CASTRIOTÆ

S E R M O N U M

L I B R I T R E S.

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI LUDOVICI CASTRIOTÆ

CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

IN COLLEGIO REGALI

ELOQUENTIÆ PROFESSORIS

SERMONUM

LIBRI TRES

Quos adnotationibus & interpretationibus illuſtravit.

NEAPOLI ANNO CIƆIƆCCLXXX.
E TYPOGRAPHIO SIMONIANO.

SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZ. NAPOLI

Digitized by Google

SALVATORI . SPINELLIO

DE . MARCHIONIBUS . FUSCALDI
EPISCOPO . CATACIENSI
VIRO . QUONDAM
IN . ORDINE . SANCTI . BENEDICTI
VIRTUTE . PIETATE . ANIMI . MAGNITUDINE
PLURIMISQUE . INGENII . SUI . PERICULIS
SPECTATISSIMO
ATQUE . INDE
IN . ACADEMIA . NEAPOLITANA
SACRA . ERUDITIONE
TRADITISQUE . PER . PLURES . ANNOS
CANONICIS . INSTITUTIONIBUS
CELEBRATISSIMO
NON . TAM . SANGUINIS . NOBILITATE
PATRICIÆQUE . FAMILIÆ . SUÆ . PROMERITO
QUAM . PER . GRADUS . CLARISSIMÆ . VIRTUTIS
VOTISQUE . OMNIUM . QUOS
PLURIBUS . BENEFICENTIÆ . SUÆ . ARGUMENTIS
IACENTES . SUSTULIT . SUBLATOS . CUMULAVIT
AD . PONTIFICATUM . EVECTO
PETRUS . LUDOVICUS . CASTRIOTA
SERMONES . SUOS . QUOS . IPSE
SINGULOS . QUOTANNIS . ELUCUBRAVIT
ET . MAGNA . HOMINUM . FREQUENTIA
AC . CELEBRITATE

IN

Digitized by Google

IN . COLLEGIO . REGALI . SCHOLARUM . PIARUM
RECITANDOS . CURAVIT
HONORIS . ET . OBSERVANTIÆ . CAUSSA
L. M. Q. D. D. D.

LE-

Digitized by Google

L E C T O R I S.

NOlo, Lector Benevole, ut, dum Sermones hoſce non mediocri ſtudio elucubratos, grato tibi animo legendos exhibeo, vel ipſa tantum nominis acerbitate perhorreſcas. Quidquid enim, in ſecundis præſertim partibus, a me dictum prolatumque fuerit, etſi vitia, hominum ſæpe animis ingruentia, redarguat; nunquam tamen neque perſonas, neque quod peculiarem fortaſſe civem indicare poſſit, intuetur; quum illud Martialis (1): *parcere perſonis, dicere de vitiis*, in animis hæreat, ſemperque in conſcribendis Sermonibus ſervandum eſſe iudicaverim. Quadere illud pro me valeat, quod aliquando Romanæ Eloquentiæ Princeps (2), ut pro ſe valeret, exoptavit: *ego*, ſcilicet, *neminem nomino : quare iraſci mihi nemo poterit, niſi qui ante de ſe voluerit confiteri.* Quid autem ſi, dum vitia refelluntur, oppoſitæ deinde virtutes laudantur non ſolum, verum etiam inculcantur? Iraſcine mecum, ac ſuccenſeri quis debeat; an operam, quæcumque illa ſit, hanc meam, vel optimam ſaltem benefaciendi voluntatem commendabit? Verſibus enim non ſolum ludos, iuvenum curas, feſtoſque dies ſumma cum laude Vates lepidiſſimi celebrarunt; ſed publicas, & privatas, maximique momenti res graviſſimi ſanctiſſimique Auctores non minori gloria pertractarunt. Sed ſi operæ argumenta lædunt neminem; vereor, ne nonnullos ipſa ſcribendi ratio vehementer offendat. Plures enim me, dum pro brevitate laboro, obſcurum; nonnulli, dum ſector lævia, nervis animiſque deficientem; alii, ſi aliquando profeſſus ſum grandia, turgidum; ceteri deni-

que

(1) Lib. X. Ep. 33.

(2) Orat. pro *lege Man.* num. 13.

que, ut tutum nimium timidumque procellæ, humi ſerpentem penitus nuncupabunt. Sed tu, Lector ampliſſime, dum aut inertes verſus reprehendes, aut duros culpabis, aut atrum incomptis ſignum allinere tranſverſo calamo elaborabis, tu, quæſo, hoc & illud ſtudio tuo ac benevolentia corrige: fruſtra enim Ariſtarchus, quæ maiori luce donanda, quæ ambigue dicta ſunt, aut quæ forte mutanda, diligenter notabit; quum non eadem auctori mens ſit, non idem animus. Accedit etiam, quod ſi male tornatos verſus incudi reddere efflagitarem, timerem profecto, ne, quam iterum inſtituendam amphoram ſuſcepiſſem, currente rota, in urceum iterum commutatam proſpicerem. Tunc enim, ſicuti citharœdus, qui corda ſemper oberrat eadem, iure audientibus omnibus deridetur; ſic me idem peccantem, veniaque merito carentem, aut cum riſu omnes mirarentur, aut diutiſſime dormitantem una cum verſibus obiurgarent. Quæ animis ſentiebam, eadem tibi, Lector, libentiſſime expoſui. Tu, ut voles, de me iudica. Me tibi addictiſſimum puta. Vale.

Digitized by Google

INDEX SERMONUM

LIBER PRIMUS

SERMO PRIMUS.

Huius libri ſcopus explicatur. In reprehendendis vitiis nullam ullius hominis indicandi, aut lædendi voluntatem ineſſe affirmatur. Argumenta Sermonum indicantur. Græcarum, Romanarumque rerum ſtudia inculcantur. pag. 1

SERMO SECUNDUS.

Olympicorum ludorum præ ceteris dignitas, atque præſtantia, eorumque Inſtitutores, cauſſæque celebritatis indicantur. Tempus, ſerieſque certaminum, necnon Victorum præmia exponuntur. Cum noſtris deinde chartarum, atque talorum ludis comparantur; hique, ut morum fortunarumque corruptores, iure merito obiurgantur. 7

SERMO TERTIUS.

Celeberrimi ſecundum Olympios Pythii ludi fuere; quorum Inſtitutores, Agonis varietas, Pythiadum intervalla, & præmia Victorum paucis exhibentur. Recens chorearum uſus, nocturnæque ſaltantium varietates, ut quæ a veterum honeſtate ludorum ac more decedentes, merito reiiciuntur. 20

SERMO QUARTUS.

Nemeaeus Agon Olympicis, Pythiiſque Græcorum ludis accedebat. Hinc de Nemeæorum origine, reſtauratione, celebritatis tempore, præmiis, ceteriſque poetico more differitur. Dementia nonnullorum, qui numeros in Sortitionis ludo ſomniis, maliſque artibus eligunt, quum revera tempus, mores, rem couterant, reiicitur iure, meritoque notatur. 30

Digitized by Google

SERMO QUINTUS.

Agonis Iſthmici origo, Inventor, locus, præmia, Iſthmiadumque tempora exponuntur. Ludo hoc maximam ſibi laudem Græci omnes vindicarunt. Non minor tamen agonis gloria cives hos noſtros invaſit, qui ſtrenua Athletarum certamina cum feminarum choreis ac epulis permutantes, noctu Pauſilypi tabernas aggrediuntur. 41

LIBER SECUNDUS

SERMO PRIMUS.

Nullum apud Romanos tam celebre ſpectaculum, quam Gladiatorium: niſi quod nimia ſanguinis effuſione, tantorumque Civium internecione iure abiiciendum repudiandumque videretur. Nonnulli tamen ex Cauſſidicis Patroniſque peiores hac tempeſtate, magiſque ſunt evitandi; quod non viventes tantum præſenteſque, ſed orituros abſenteſque homines litibus mactant, dilacerantque. 51

SERMO SECUNDUS.

De Circi Maximi Venatione apud Romanos in publicis feſtis habita, nonnulla paſſim diſputantur. Ferarum autem Venatione nunc ultro ſepoſita, in dignitatibus ac divitiis malis artibus captandis, & ſæpius boni nominis famæque Cives calumniando, Venatores urbani exercentur. Mos improbus, ac pravitas animi inculpantur. 68

SERMO TERTIUS.

Stoicorum ſapientia refellitur; vera exponitur; quique Philoſophi ſint, rationibus comprobatur. Iterum de Circi Venationibus exhibentur nonnulla. Sed fuſius improbitas illorum notatur, qui ferarum Venatione ſepoſita, mulierum, quæcumque illæ ſint, matronarumque pudicitiam ſpe, largitione, maliſque quibuſdam artibus undequaque ſectantur. 77

SER-

SERMO QUARTUS.

Plurima ex Mimis, veterumque Theatris tum Scriptores, cum Oratores omnes ad agendi elegantiam, leporemque ſermonis ſibi merito vindicabant. Sed longe plurima Auditores Spectatoreſque ad mores virtuteſque animi depravandas. Quare obſcœnitatem ac licentiam veterum Theatrorum prorſus eliminandam ac eiiciendam eſſe demonſtratur. 86

LIBER TERTIUS.

SERMO PRIMUS.

Philippi Nerii vita vel ex eo clariſſima reputatur, quod inter Urbis negocia, ac multitudine officiorum intacta ſemper, reique publicæ utilitate refulſerit. Male creditur in urbanis negociis huiuſmodi vita degi poſſe, niſi eadem pietatis fulcra, ac remedia ſanctitatis adhibeantur. Quare ut Nerii ſanctitas, ſic varia vitia hominum, obtrectatorum præcipue, deſcribuntur. 95

SERMO SECUNDUS.

Fruſtra Italiæ, & huius præſertim Civitatis homines nimiam veſtium vanitatem ex communi more, ac uſu defendunt. Amor enim non ad corporis ornamenta, ſed ad ſummum æternumque Bonum, ex Philippi Nerii exemplo, unice eſt dirigendus. 105

SERMO TERTIUS.

Communes lætitiæ voluptates pro Nato iam Siciliarum Principe deſcribuntur. Rempublicam corpus eſſe oſtenditur. Quare, ut bene ſe habeat, una cum capite conſpirantia membra iactitet, neceſſe eſt. Indigniſſimi ſunt igitur, qui animi cupiditatibus obſecundantes, nec ſe cives præſtant, nec ſalubri morum curatione filios pariunt reipublicæ. 114

Digitized by Google

SERMO QUARTUS.

Nonnullorum ignavia merito reprehenditur, qui quum poeſeos præſertim, ac matheſeos facultates, ceteraſque diſciplinas nunquam didicerint; de rebus tamen omnibus non dubitant diſceptare. Maioris tamen dementiæ ſunt, qui nimia morum improbitate, ut conſcientiæ ſtimulis (quod fieri fortaſſe nequit) diſſolvantur; animæ immortalitatem, æternitatem pœnarum, ac Dei exiſtentiam inficiantur: ſicque divina omnia ineptiſſimis argumentis contemnunt, atque dilacerant.

Rev.

Digitized by Google

Rev.U.J.D.D. Dominicus Cavallarius revideat Autographum enunciati Operis, cui ſe ſubſcribat, ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, & in ſcriptis referat. Dat. Neap. die 24. *menſis Maji* 1780.

MATTH. JAN. ARCHIEP. CARTH. C. M.

S. R. M.

JUſſu tuo, Princeps optime, legi *tres Sermonum libros*, quos Petrus Ludovicus Caſtriota, vir religioſus Scholarum Piarum elucubravit, & typis evulgandos petiit. Quæ quidem lectio mihi ſummo oblectamento fuit: nam auctor eloquentiſſimus Latina dictione, ut Horatium ipſum expreſſiſſe videatur, varia antiquitatis inſtituta deſcribit, & inde arrepta occaſione ad noſtra tempora deſcendens, malos huius ætatis mores adeo graphice exponit, ut ſpes ſit, pleroſque tandem bonam mentem induere, & ad bonam frugem redire. Nihil vero habet opus, quod Maieſtatis iura vel minimum lædere poſſit. Quapropter illud typis evulgari poſſe cenſeo. Dabam Neapoli idibus Iunii CIϽIϽCCLXXX.

Dominicus Cavallarius.

Die 26. *menſis Junii* 1780. *Neapoli.*

Viſo Reſcripto ſuæ Regalis Majeſtatis ſub die 24. *currentis menſis, & anni, ac relatione Rev. U. J. D. D. Dominici Cavallaro, de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.*

Re-

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Reviſoris: verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione affirmetur quod concordat ſervata forma Regalium ordinum, ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

PATRITIUS. AVENA.

VIDIT FISCUS REGALIS CORONÆ.

Ill. Marchio Citus Præſes S. R. C., & cæteri Illuſtres Aularum Præfecti tempore ſubſcriptionis impediti.

Reg.
Carulli. *Athanaſius.*

Adm. Rev. Dom. D. Salvator Rogerius S. Th. Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Die 25. *Junii* 1780.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

EXCELL. AC REVERENDISS. PRÆSUL.

QUos Petrus Ludovicus Caſtriota ſtilo non pœnitendo *Sermones* conſcripſit, dignos eſſe arbitror, ut publicam lucem aſpiciant. Nihil enim in iis occurrit, unde aliquid detrimenti capiat aut Religionis fides, aut morum honeſtas; quin etiam libertas illa, neutiquam vero livida ac mordax, qua notantur vitia, magno documento eſt, ut fugiantur. Ut enim ad rem Horatius, *teneros animos aliena opprobria ſæpe abſterrent vitiis*. Dat. Neapoli VI. Hal. Sextil. MDCCLXXX.

Excell. Tuæ Rev.

Addictiſs. atque obſequentiſs.
Salvator Rogerius.

SERAPHIM SICILIANUS
A S. MARIA

CL. REG. MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM PRÆPOSITUS PROVINCIALIS, ET EX-ASSISTENS GENERALIS.

QUum librum, cui Titulus: *Petri Ludovici Caſtriotæ Cler. Reg. Schol. Piar. in Coll. Regali Eloquentiæ Profeſſoris Sermonum Libri tres*, duo ex noſtris, quibus commiſſum fuit, recognoverint, & adprobaverint, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem &c.

Datum Neapoli in Coll. Regali noſtro Schol. Piar. Idibus Maji 1780.

SERAPHIM SICILIANUS A S. MARIA PRÆPOSITUS PROVINCIALIS, ET EX-ASSISTENS GENERALIS.

Ludovicus Maria de Curtis a S. Michaele Secretarius.

Quid

Quid faciam? Saltat Milonius, ut ſemel icto
Acceſſit fervor capiti, numeruſque lucernis.
Caſtor gaudet equis; ovo prognatus eodem
Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum
Millia. Me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu. Q. Horat. lib. II. Sat. 1.
. . . . . Sed hic ſtylus haud petet ultro
Quemquam animantem, & me veluti cuſtodiet enſis
Vagina tectus: quem cur diſtringere coner
Tutus ab infeſtis latronibus? Id. ibid.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

SERMO PRIMUS.

Huius libri ſcopus explicatur. In reprehendendis vitiis nullam ullius hominis indicandi, aut lædendi voluntatem ineſſe affirmatur. Argumenta Sermonum indicantur. Græcarum, Romanarumque rerum ſtudia inculcantur.

Hos ego verſiculos dum pango, ceu meus eſt mos,
Qui pede vix firmo currunt, fortaſsis ab æde
Muſarum Antiſtes, naſo criſpante cachinnos
Ingeminans tremulos, dicet: cur carmina condis
Tu, cui ſunt Muſæ adverſæ, nec amica Minerva (1)?
En en, qui Flaccum vecors imitabitur! En vir,
Qui monimenta locat Juvenali proxima! cuique

Se-

(1) Reluctante ac infeſta hac Dea artium omnium præſide, nihil feliciter quiſquam moliri valet. Unde Cic. *pro Archia: Sic a ſummis hominibus erudiriſque*

Sectanus læto arridet, vel Perſius ore;
Quum tamen is ſtudio, ac docta nil polleat arte (1)!
O caput anticyris nunquam ſanabile! Conde,
Conde lubens verſus, atramento infice chartas,
Queis mox condetur ſcomber, crocus, & piper, & thus.
O quo tu Vatem transfigis fulmine! Parce,
Parce, precor tu Phœbi, Muſarumque Sacerdos
Maxime. Cur lex in me unum ſancitur iniqua?
Unus ego ex tantis conſcripſi carmina? An auſus
Dicere, quod firmo & ſtabili ſtent carmina talo?
Ni valeam ſtudio, ni me natura benigno,
Carmina quo facerem, muſæ ditaverit æſtu;
At valeam ſaltem pedibus concludere verſum,
Quæque feram ſenos numerabunt pollicis ictus.
Gnaviter aſt dices: „ *mediocribus eſſe Poetis* (2)
„ *Non homines, non Dj, non conceſſere columnæ.*

Hæc

que accepimus, ceterarum rerum ſtudia & doctrina, & præceptis, & arte conſtare: Poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu afflari. Quod clarius præcepit Horat. *de Art. poet.* ver. 385.

Tu nihil invita dices, facieſve Minerva.

[1] Præter naturam ars quoque & ſtudium, ſive eximiorum imitatio poetarum neceſſaria eſt. Ait enim Cic. mox cit. *Sæpius ad laudem & virtutem natura ſine doctrina, quam doctrina ſine natura valuit. At quum ad naturam eximiam & illuſtrem acceſſerit ratio quædam & confirmatio doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare exiſtit.* Et Horat. *ib.* ver. 408. & ſeqq.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt: ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

[2] Horat. *ib.* ver. 372. & ſeq. Idem autem opportune ad hæc lib. I. *Sat.* 4. ver. 39. & ſeqq. ait:

Primum ego me illorum, dederim quibus eſſe Poetas,
Excerpam numero: neque enim concludere verſum,
Dixeris eſſe ſatis; neque ſi quis ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe Poetam:
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

Et Petron. *Multos carmen decepit: nam ut quiſque verſum pedibus inſtruxit, ſenſumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putat ſe continuo in Heliconem veniſſe . . . . Ceterum neque generoſior ſpiritus vanitatem amat; neque concipere, aut edere partum mens poteſt, niſi ingenti flumine litterarum inundata. Effugiendum eſt ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate, ſumendæque voces a plebe ſummotæ, ut fiat:* Odi profanum vulgus, & arceo. *Præterea curandum eſt, ne ſententiæ emineant extra corpus rationis expreſſæ, ſed intecto veſtibus colore niteant: Homerus teſtis, & Lyrici, Romanuſque Virgilius, & Horatii curioſa felicitas &c.*

Digitized by Google

Hæc noſcunt omnes ante alpha, & beta puellæ.
Ergo nec Vatum tanges monimenta. Quid inde?
Novi hæc, & noſco quam ſit mihi curta ſupellex:
Sed mihi ni pariam nomen famamque Poetæ,
Fors quis me patiens Muſarum dicet amantem;
Accipientque meos pueri juveneſque labores (1).
Te noſtra hæc vero ſi offendunt carmina, ſcombris
Hæc adhibe, & piperi; vel thus, vel condito oletum;
Hæcque tibi largus cedam pro quolibet uſu.
Rurſus at inſurgit, minima nec percitus ira,
Alter Socraticis imbutus legibus (2), atque
Inclyta præmonſtrans pietatis munia: Quid tu,
Inflatis inquit buccis, hos pangere verſus
Audes? Namque horrent ſermonum nomine cautæ
Aures, ac animi dociles. Æquumne videtur
Archilochi irato populos violare veneno (3),
Et turpes maculas alienæ inſpergere famæ?
Excede, evade, ac propriis erumpe ſagittis!
Papæ! quos tonitrus, quæ jactat fulgura! Bilis
Heu quantum jecori turgeſcit vitrea! In hoſtes
Diſploſa hoc ſtrepitu nunquam bombarda (4) remugit.

 Sal-

[1] *Ut verecundius de ſe omnes ſcribant neceſſe eſt, ſi quid eſt laudandum: & prætereant, ſi quid reprehendendum eſt. Accedit etiam, ut minor ſit fides, minor auctoritas:* ſic Cic. *ad Lucei. fam.* lib. V. & Ariſt. apud Laert. lib. V. cap. 1. *Nemo de ſe debet prædicare vel in laudem, vel in vituperium.*

[2] Philoſophiæ ſcilicet moralis ſcientia, quam Socrates promovit, & ab eo hauſerunt Plato, Xenophon, aliique, & ſcriptis illuſtrarunt. Vid. Horat. lib.III. *Od.* 21. lib. II. *Sat.* 4. Et lib. *de Art. poet.* ver. 300., & ſeq. ait:

Scribendi recte ſapere eſt & principium, & fons:
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.

[3] Lycambes Neobulem Filiam antea deſponſam fracta fide Archilocho negavit uxorem, generumque habere ſprevit. At Archilochus iambicos verſus a ſe inventos tam acerbos, & amarulentos ſcripſit in Lycamben, ut eum ad deſperationem, tandemque ad ſuſpendium adegiſſe dicatur. Vid. Cic. III. *de Nat.Deor.* & I. *Tuſc.* Quare Horat. *Epod.Od.6.* ait:

Cave, cave: namque in malos aſperrimus
Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ ſpretus infido gener;
Aut acer hoſtis Bupalo.

Et *de Art. poet.* ver. 79.

Archilochum proprio rabies armavit iambo.

[4] Vox nova neceſſitate admiſſa. Ab Horatio enim *de Art. poet.* datur licentia pudenter ſumpta. Huic & Tull. aſſentitur, quum lib. III. *de Fin.* ait: *Si Zenoni licuit, quum rem aliquam inveniſſet inauditam, inuſitatum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni?* & Quintil. lib. I. cap. 5. ita ſcribit: *Nova inducta ſi recepta ſint modicam laudem afferunt, repudiata etiam in iocos exeunt:* au-

Salve, Pater morum, ſacrorum ſalve Sacerdos:
Da veniam miſero, flexo qui poplite te orat,
Adque pedes lacrymis te ſanctum clamat obortis.
Quid tamen is poſcit? Ne ſit ſententia præceps;
Ne verſus reputes ejuſdem furfuris omnes;
Et ne confundas ſatyras ſermonibus (1): Unum hoc
Te orat: tunc animo valeas, ac corpore ſanus.
Ecquid enim minus eſt tolerabile, durius aut quid,
Quam duro indicta cauſſa damnarier ore?
Atque equidem nudis jaculis incedit & ira
Sermo, nec iratas, quibus eſt comœdia quondam
Uſa, capit voces, nec quas tenuere tragœdi.
Sique modo vitium carpit; ſtat norma loquendi.
Nam cum tuberibus trutina non ponit eadem
Verrucas hominum; aut damnat graviore flagello,
Quod ſcutica dignum eſt (2): ſuppreſſo & nomine, prudens
(Inclyta ceu clamant feſtis de more diebus
Præſulis ore ſacri reſonantia pulpita templi)
Perſonis parcit, notis ceu parcit amicis.
At quæ materies dictis? quo carmina tendunt?
Scilicet ut pueros priſcæ ſpectacula Romæ,
Priſcaque Græcorum doceam certamina. Namque
Commodius juvenes veterum exemplaria morum
Carminis auxilio capiunt, retinentque fideles (3).

Quid

---

audendum tamen: namque ut Cicero ait, etiam quæ primo dura viſa ſunt, uſu molliuntur. Quare concludit Horat. *ib.* ver. 58.

. . . . . Licuit, ſemperque licebit
Signatum præſente nota producere nomen.

[1] Poſt comœdiam, & tragœdiam, quarum *in vitium libertas excidit, & vim dignam lege regi*, ut ait Horat. *in Art. poet.* introducti ſunt Satyri, qui tacitis propriis hominum nominibus, eorum vitia traducerent. Quum autem id ſenſim licentius facerent, Satyra quoque odio haberi cœpit, *utpote nomen maledicum vitiorum acerbe caſtigativum. Ideo Poeta noſter, ne lectores acerbitate nominis territi aufugiant, maluit Sermones, quam Satyras appellare*, inquit Aſcenſ. in ſerm. Horatii explan. ubi ſubdit: *Sermo autem dicitur, eo quod feratur inter duos, aut plures viciſſim loquentes. Tunc enim dicitur ſermo, quando ad præſentes loquimur.*

[2] Pro *tuberibus*, ac *verrucis* vitia maiora, ac minora intelliguntur. Quare Horat. Sat. III. lib. 1. ver. 73., & 74.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius.

Unde mox ſubdit ver. 119.

Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

[3] Quam facile per carmina res memoriæ commendantur, quamque eorum uſus longe pateat, oſtendit Horat. *de Art. poet.* ver. 401., & ſeqq.

. . . . . Poſt hos inſignis Homerus

Tyr-

Quid vero melius, quam ſi tot ludicra ſcribam,
Quæ Populi Archaico celebrarunt tempore? Et hercle
Vis hominum mores, Regni vis noſcere leges,
Utque plagis variis variat natura virorum?
Cerne dies feſtos, Divorum conſpice ludos.
Tunc etenim mulier, puerique, virique, ſeneſque,
Patricii, ac equites, minimuſque ex gente popelli,
Curis ac ſtudio ſueto de more ſoluti,
Quæ latitant animis, reſerato pectore pandunt,
Quæque intus poſuit prudens natura, culullis
Ceu preſsi multis, retegunt monſtrantque libenter (1).
Sic ſi percenſes Romani prælia Circi,
Qui vultus hominum! quæ Divum templa! ſacrorum
Quæ pia majeſtas! rerum qui lucidus ordo!
Legibus ergo æquis, ac relligione tuentur.
Quid ſi fas priſcæ ætatis luſtrare theatra?
Stat Populus, jactantque Patres pro ſede lapillum.
Sed quo? Particulam minimam ne demeret unquam
Scena theatralis tantæ virtutis (2). Ad unguem
Jura poteſt igitur, Martiſque addiſcerę leges,
Et ſævos animis pugnæ tolerare labores.

Cer-

Tyrtæuſque maret animos ad martia bella
Verſibus exacuit: dictæ per carmina ſortes,
Et vitæ monſtrata via eſt: & gratia Regum
Pieriis tentata modis, luduſque repertus,
Et longum operum finis: ne ſorte pudori
Sit tibi Muſa lyræ ſollers, & cantor Apollo.

[1] Dio *de legatione: Tarentini legatos in Theatro audiunt*. Sed ipſos Romanorum legatos in peragendis feſtis ſpurciſſime violarunt. Cicero *pro Flacco: Quum in Theatro Græci conſederent, tum bella civilia ſuſcipiebant*. Ita antem levitatem animi demonſtrabant. Contra vero lib. *de cauſſis corruptæ eloquentiæ* ſic legitur de Romanis: *Populus auditis in Theatro verſibus Virgilii, ſurrexit univerſus, & forte præſentem ſpectantemque Virgilium ſic veneratus eſt, quaſi Auguſtum*. Quadere mores, quibus a pueritia homines imbuuntur, eoſdem in ludis, ac feſtis publicis libentiſſime pateſaciunt? Vid. Philoſtrat. *in Philargo*, Sueton. *in Iulio* cap. LXXX. Valer. Maxim. lib. VI. cap. 11. Tertull. lib. de *Spectac.* &c.

[2] Iſidor. lib. XVIII. cap. 42. ait: *Theatrum a ſpectando nuncupatum ἀπὸ τῆ θεᾶσθαι, quod in eo Populus ſtans deſuper, atque ſpectans ludos contemplaretur*. Valer. Maxim. lib. II. cap. 1. *Per quincentos autem, & quinquaginta annos Senatus Populo miſtus ſpectaculo ludorum interfuit*. Et S.Aug. lib. I. cap. 6. *de Civit.* ita ſubdit: *Naſica Pontifex Max. Caveam Theatri Senatum conſtruere molientem compeſcuit, perſuaſitque, ne Græcam luxuriam virilibus Patriæ moribus paterentur obrepere, & id egit, ut Senatus ſubſellia, quibus ad horam congeſtis in ludorum ſpectaculo iam olim uti Civitas cœperat, deinceps prohiberet apponi.*

Cerne modo ludos, Græcorum cerne theatra.
O quæ mollities! o qui ſine pondere faſtus
Ergo incerta fides, fragiliſque ad prælia virtus.
Hac igitur cauſſa, dum per certamina, perque
Ludos, quos Tibris quondam jactavit, & Hellas,
Carmina diſcurrunt humili ſermone; juventæ,
Lautorum ac pueris præbent quamplurima ſcitu
Optima: quæ merces Vati eſt lautiſsima: & inde
Haud homines lædunt, vitæ qui jura decentis
Æqua petunt. Mores quod ſi fortaſſe recentes
Fas mihi reſpicere, in trutinam revocare vel uſus
Vivendi hos noſtros, aliquando quin ſale pauco
Peccantes levibus, minimiſque adſpergere: riſu id,
Atque joco dictum reputes. Grave ſi acciderit quid
Cenſura dignum; dicam quæ dixi: ego & ultro
Peccata objurgam, parcam & peccantibus ultro (1).
Ut ſi quis fuerit patulo vel crimine læſus,
Aut macula obnoxus (recti me vindice, & æqui,
Non præceptore) in melius veſtigia vertat.
At niſi culpatur; mactet virtutibus, unus
Emicet ex ſeptem Grajum Sapientibus, & is
Sit probior Curiis, Fabiis generoſior, & Rex.

SER-

[1] Horat. *Satyr.* IV. *lib.* I. *ver.* 100. illos reputat acerbiores, qui amicitiæ ſpeciem præferentes, ceteris maledicunt, quam qui, ut ipſe ſolet, aliquid iocoſius dixerint:

. . . . . Hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt
Ærugo mera: quod vitium procul abfore chartis,
Atque animo prius; ut ſi quid promittere de me
Poſſum aliud, vere promitto. Liberius ſi
Dixero quid, ſi forte jocoſius; hoc mihi juris
Cum venia dabis. Inſuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem exemplis vitiorum quæque notando.

Quare de primis Pſ. 54. *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Et pro ſecundis Ennius: *Eo ingenio natus ſum: amicitiam, atque inimicitiam in fronte promptam gero.*

SERMO SECUNDUS.

Olympicorum ludorum præ ceteris dignitas, atque præſtantia, eorumque Inſtitutores, cauſſæque celebritatis indicantur. Tempus, ſerieſque certaminum, necnon Victorum præmia exponuntur. Cum noſtris deinde chartarum, atque talorum ludis comparantur; hique, ut morum fortunarumque corruptores, iure merito obiurgantur.

SÆpe mihi in mentem venit, quos Græcia ludos,
Et quæ primævis celebravit prælia Divis (1),
Exiguis tentare modis. Sed quid? mihi nunquam
Reddita, ut optavi, cauſſa eſt. At quum mihi caſu
Pindaricas chartas, vel quos ſibi pagina ſervat
Inclyta Pauſaniæ percurrere contigit æſtus,
Quæque auctor ludo reſonat bene doctus Acheo;
Tunc voti compos, precibus tentare Camœnas:
Nec ſurdæ hæ precibus. Quare quæ lecta, libenter,
Et ſine vel rerum ſtudio, vel partis amore,

Scri-

(1) Quatuor præcipui Græcorum ludi, *Olympici* nimirum, *Pythii*, *Nemei*, atque *Iſthmii*. Unde Ioannes Potterus *Archæologia Græca* lib. II. cap. XXI. ſic ait: *Iam agemus de quatuor publicis, & ſollemnibus ludis, qui peculiari modo dicebantur* ἱεροὶ, *ideſt* ſacri, *vel quia in maxima exiſtimatione habiti ſunt apud Græcos: Innumera enim ſpectatorum multitudo ex omnibus Græciæ partibus eo confluebant; vel quia inſtituti ſunt in honorem Deorum, aut Heroum in numerum Deorum relatorum, ſollemnibuſque ſacrificiis tum auſpicabantur, tum claudebantur*. Illorum ludorum nomina, ſimulque eos, quibus dicati erant, & præmia eleganter contraxit Archias in his duobus diſtichis. *Anthol. lib. 1. cap. 1. Epigram. 1.*

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱεροί.
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων·
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο·
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quatuor ſunt certamina in Græcia, quatuor ſacra.
Duo quidem mortalium, duo vero immortalium:
Jovis, Apollinis, Palæmonis, Archemori:
Præmia vero illorum olea, poma, apium, pinus.

Scribam, ne alterius dicar macreſcere rebus.
At quænam noſtris Grajum certamina primum
Sunt dicenda modis? Equidem ceu plena minores
Inter luna micat ſtellas, vel Phœbus in axe
Sidera deſerto ſuperat ſplendore; ſecus tu
Ne credas alios inter luceſcere Grajos,
Et ſuperare omnes certamina Olympica ludos (1).
Ordiar hiſce igitur, merito ſibi poſtulat ordo.
Surgit enim medio centum ſublime columnis
Templum, ac ara Jovis: plures hic indeque Divum
Præclaro ſtatuæ conſiſtunt ordine. Cælum
Marmorea immenſi tangunt monimenta theatri:
Ardor pugnantum, protenſæ ſplendor arenæ,
Concurſus hominum, victorum gloria, tandem
Cetera, Olympiaci queis conſtant prælia campi,
Nil non eximium, nil non mirabile promunt (2).
Nonne etenim peltique Duces, & caſſide clari,
Regius aut ſanguis, divino aut ſemine nati
Hæc primum inſtituere Alphea ad flumina Piſæ (3)

Præ-

(1) Ait enim Pindarus *Olymp.* 1. *verſ.* 5.

Ε' ἰδ' Α'εθλα γαρύεν
Ε'λδεαι φίλον ἦτορ,
Μηκέτ', ἀλίυ σκόπει
Α'λλο θαλπνότερον
Ε'ν ἀμέρᾳ φαεινὸν ἄστρον.
Ε'ρήμας δὲ αἰθέρος·
Μηδ' Ο'λυμπίας Α'γῶνα
Φέρτερον αὐδάσομεν.

ſcilicet:

Si certamina narrare
Cupis, care anime mi,
Ne amplius ſole contempleris
Aliud ſplendidius
Interdiu lucens aſtrum
Per deſertum æther,
Nec Olympico certamine
Præſtantius aliud *dicemus.*

(2) Eduardus Corſinus *Diſſert.* I. *Agoniſt. n.* 1. elegantiſſime ſcripſit: *Maxima deinde ludorum, ſive certaminum varietas, quæ in Olympicis ipſis invecta fuit, auguſta Iovis Olympii ædes, incredibilis ſtatuarum numerus, magnificus Olympicæ arenæ, Theatrique ſplendor, maximus Athletarum ardor, denique Victorum gloria, quam Cicero ſplendidioribus Romanorum triumphis comparandam eſſe putaverat, intuentium oculos, animumque ita percellere conſueverunt, ut nihil illuſtrius, ſplendidius nihil, nihil denique magnificentius non in Græcia ſolum, ſed in univerſo quoque terrarum orbe ſpectari poſſe merito videretur.*

(3) *Alpheus* fluv. Peloponneſi, qui ex Stymphalo monte per urbem Piſam, per Arcadiam, & Elidem, regiones in ſinum Chelonitem ad occi. apud Triphyliam urbem influit, ac Olympiam alluit, ab eius oſtio 80. ſtadia diſtantem. Dictus eſt ab ἄλφος, quæ eſt ſpecies vitiliginis albæ; quia eius aqua maculas eiuſmodi tollere creditur. Strab. lib. VI. & Pauſ. lib. V. poetarum fabulam ſequuti, tradunt Alpheum occultis meatibus ſubter mare labi, & Arethuſæ fonti apud Syracuſas urbem Siciliæ miſceri.

Prælia? Sed Pelopi ſi danda eſt gloria pro tot
Inventis ludis, hoſtem dum robore equorum
Neptuni in mare projecit; ſatis undique clara
Non eſt hiſtoria (1). At potius cedenda labori eſt
Herculeo, Augeam proprio qui litore, & ipſo
Dejecit regno, primuſque hæc bella ſacravit
Summa Jovi: unde Jovis fuerant tunc omnia plena (2).
 Quid tamen? Obſcura poſthac certamina nocte
Condita, non minimo tacuerunt tempore. Non vir
Arma tulit, ſtatuæ Divum non marmore ſtructæ,
Non Elis pugnas habuit, non Jupiter aras.
Quid ni? Quippe ſuam tali poſt tempore Homerus
Producens vitam, ludos non carmine tangit,
Non redit ad faſtos, lapſos non indicat annos,
Nec jam Victores, verbum nec rettulit unum.
Jure igitur tantæ rapuit ſibi munera laudis
Iphitus, eximii propior qui ætate Lycurgi
Tempora pertingens, ſtudio, vi, robore ludos

 Ex-

(1) Iulius Cæſar Scaliger *de Olympiis cap.* XX. hæc habet: *Pelops Hippodamiæ Oenomai Filiæ ſama, & amore captus, in Elide apud Patrem auſus eſt proci nomen profiteri. Oraculo monitus ille, exitum ſuum pendere ex Filiæ nuptiis, quibus artibus interitum effugere, quærit, ſibi molitus eſt. Virginem petentibus propoſuit, in bigarum certamine victori Filiæ nuptias, victo mortem. Qua lege tredecim iuvenes interfecit: quemadmodum canit Pindarus, cuius Interpretes etiam eorum nomina recenſuere. Pelops a Neptuno impetratis equis victum Oenomaum in mare præcipitavit. Hippodamiam uxorem duxit: certamen victoriæ monumentum inſtituit &c.*

(2) Idem paullo poſt: *Hercules intermiſſam in Olympii Iovis honorem, victo Augea Elidis principe, de præda, atque manubiis inſtauravit*. Et Corſin. mox cit. num. 2. *Communis eſt, longeque veriſimilior opinio, quod Olympiei ludi ab Hercule primum peracti, vel celebrati fuerint anno* P. I. 3507. (iuxta Petav. Doctr. Temp. lib. IX. cap. 41.) *poſtquam Augeam Elidis Regem ſuperaverat*. Quare Statius *lib.* VI. *Thebaidos*, ſic cecinit:

. . . . Primus Piſæa per arva
Hunc pius Alcides Pelopi ſacravit honorem,
Pulvereumque fera crinem deterſit oliva.
Proxima vipereo celebravit libera nexu
Phocis Apollineæ bellum puerile pharetræ.
Mox circum triſtes ſervata Palæmonis aras
Nigra ſuperſtitio.

De Græciæ ludorum inſtitutione Auſonius *in Idyl.* ſic ait:

Tantalidæ Pelopi mæſtum dicat Elis honorem;
Archemori Nemæa colunt quinquennia Thebæ,
Iſthmia defuncto celebrata Palæmone notum;
Pythia placando Delphi ſtatuere draconi.

Et idem:

Prima Jovi magno celebrantur Olympia Piſæ.

Excuſſit nimio redivivos pulvere, & ipſe
Prælia tentavit (1). Simili ſed prælia fato
Rurſus preſſa diu jacuerunt (2): indeque factum,
Elidis ut civi tantæ foret una Corœbo (3)
Inſtructæ pugnæ pugnata hæc gloria: & inde
Annorum ſeries celebrata eſt ordine; & inde
Conceſſa hiſtoricis tuto ſua tempora factis.
Hactenus hæc. Verum qua tempeſtate, dieque
Exacti ludi, Grajumque hæc prælia? Dicam.
Quum rapidum celſo duxiſſet in æthere currum
Phœbus, ita ut medio ſiſtens ſe cardine Cæli
Solſtitium æſtivum præberet gentibus; & quum
Pleno Luna ſuis luceret lumine bigis;
Tunc fertur dederit ſpectatos Græcia ludos (4):
Idque nec immerito. Ludi nam Præſidis unum (5)

Exti-

(1) Iulius Cæſar Bulengerus de *Circo Rom. cap.* II. *Phlegon Trallianus Adriani libertus lib. de* Olympiis *narrat, intermiſſam a Peloponeſiis fuiſſe inſtituti a Piſo, Pelope, atque Hercule Olympici certaminis celebritatem, quæ ab Iphito reſtituta ſit.* Clarius autem Corſin. loco cit. num. 2. *Ipſorum tamen celebritatem Troiani belli temporibus excidiſſe exinde quoque deduci poteris, quod Homerus ipſe, qui obſcuriores Agones alios accurate deſcripſit, nullam de Olympiis, ipſorumque victoribus mentionem inieceri. Itaque Iphitus, quem Pauſanias* (in Eliac. 1.) *& Ariſtoteles* (apud Plutarc. in Lycurgo) *Lycurgi temporibus vixiſſe memorant, Olympicos ludos intermiſſos fere, atque obſoletes inſtauravit.*

(2) *Quamvis illi vel repente mox deſeri, vel obſcurius peragi poſt Iphitum conſueverint, ut proinde Olympiades illæ poſt Iphitum, incertis fortaſſe, variiſque temporibus celebratæ, numeratæ non fuerint.* Id. ib.

(3) *Hinc Olympias omnium prima, a qua veluti cardine ceteræ mox inſequuta numerari, vel Olympicorum annorum ſeries ſupputari cœperunt, eſt illa, qua Corœbus Eleus palmam retulit; illa nimirum, quæ poſt 112. annos, hoc eſt 28. Olympiadum ſpatium Olympiadem ab Iphito celebratam eſt inſequuta, ut perſpicuo Phlegontis* (de Olympiis) *teſtimonio erudimur.* Id. ibid. Vid. Athen. *lib.* XIV. Scalig., & Buleng. *loco cit.* & Potter. *ib. cap.* XXII.

(4) Clariſſime id oſtendit Dionyſ. Petav. *Doctr. Temp. lib.* I. *cap.* XII. quum ait: *Veruntamen primi menſis neomeniam ante ſolſtitium cœpiſſe probabilius arbitror: atque ut Iudæi, & poſt illos Chriſtiani primum menſem non novilunii, ſed plenilunii obſervatione definiunt, ita Græcos plenilunii maxime rationem habuiſſe, & quod ſolſtitio vicinius eſſet, id primo menſi tribuiſſe.* Et Corſin. loco cit. num. 7. *Id unum veluti certum, atque perſpicue a me demonſtratum eſſe confido, quod menſes illi, cuiuſcumque demum gentis ii fuerint, ad Elidenſes certe, vel Delios cum Dodvello referri non poſſunt; ac Olympici proinde ludi non ultimo, non embolimo, ſed primo potius Civilis Elidenſis anni menſe veteri conſtantique ritu peragebantur, ut tamen ad plenilunium potius, ſive menſis ipſius medium, quam ad novilunium, ſive initium ſpectaverint.*

(5) *Uſque ad quinquageſimam Olympiadem unus tantum fuit Præſes; ſed deinceps duo præfecti ſunt. Centeſima ter-*

tia

Digitized by Google

Extitit officium, Victori ferre coronam,
Quæ primum pomis, poſthac contexta virenti
Ex oleæ ramo: quumque id recto ordine Præſes
Præſtaret, menſis quum jam bis quinque dierum,
Et ſex ceſſiſſent: igitur dum plena ſereno
Luna micabat, ovans complebat Græcia ludos (1).
Nec ſatis hæc. Etenim ſicuti civilibus annis
Elidis, & primo, & ſtabili certamina menſi
Conceſſa, ut veterum conſtat ſententia ſcriptis (2):
Namque *emboliſmis* ſueto diſcrimine junctis (3),

B 2 Nunc

---

tia Olympiade illorum numerus auctus eſt ad duodecim iuxta numerum Eleorum tribuum, ex quarum ſingulis unus Præſes creabatur: ſed ſequentibus Olympiadibus, poſtquam in bello contra Arcades ingentem hominum iacturam paſſa fuiſſet, & ad octo tribus decreviſſes Eleorum gens, ad parem numerum redacti ſunt Præſides: Centeſima quinta Olympiade unus additus eſt; & centeſima ſexta alter acceſſit, ita ut decem fuerint, & permanſerint Præſides uſque ad tempora Adriani Romanorum Imperatoris. Ita Potter. loc. cit.

(1) Corſin. ibid. num. 8. *Ita vero Olympicorum ludorum celebritas in plenilunium ipſum incidere conſueverat, ut ſextadecima menſis die ab Hellanodicis, ſive ludorum Præſidibus de victoribus iudicium fieret; ipſiſque corona quæ antiquitus quidem ex pomis, mox vero ex olea contexta fuerat* (Pindar. Olymp. XI. & III. Pauſan. Eliac. I.) *concederetur, ut elegantiſſime Pindarus ipſe teſtatur* Olymp. III. ver. 35.

. . . . διχόμηνις ὅλον χρυσάρματος
Ἑσπέρας ὀφθαλμὸν ἀντέφλεξε μήνα
Καὶ μεγάλον ἀέθλων ἁγνὰν κρίσιν
Καὶ πενταετηρίδ' ἁμᾶ
Θῆκε.

. . . plena Luna aureo curru vecta
Veſpere totum oculum illuſtraverat,
Et magnorum certaminum ſanctum iudicium,
Et quinquennium ſimul conſtituerat: ...

(2) Ita Petav. *Doctr. Temp. lib.* I. *cap. XII. & XV.* & Corſin. *loco cit. num.* 5. contra Dodvellum *Sect.* 13. & Scaligerum *pag.* 37. & 39. luce clarius demonſtrant.

(3) *Emboliſmus* idem eſt, ac intercalatio, quæ fieri ſolet, ut annorum ratio cum ſolis curſu conveniat. Vid. Macrob. *lib. I. Saturn. cap. XIII.* Quare Corſin. *ib. n.* 5. apposite ait: *Itaque, ſicuti in civilibus Athenienſium annis, non Panathenæa ſolum, ſed Olympici quoque ludi ſemper in unum eundemque civilis anni menſem, hoc eſt Hecatombeonem* (Iulium) *omnium primum conſtanter incidebant; ita quoque in civilibus Elidenſium annis Olympia ſemper uni eidemque, atque omnium primo menſi tributa videntur; ut embolimorum quidem ope interdum poſt 49. interdum poſt 50. menſes illa redirent; ſed ſemper tamen in unum idemque civilis anni caput, ſive principium inciderent.* Et idem n. 6. *Exinde vero perſpicue deduci poterit, quod alterutter ex menſibus illis* embolimus *eſſe debet. Etenim, ſi uterque* communis *eſſet, atque embolimus proinde menſis in ſitum alium incideret, pentætericum Feſtum illud, quod* Apollonio *menſe prius peractum fuerat, iterum non alio, quam* Apollonio *menſe redire, vel inſtaurari debuiſſet: quum ex Metonicæ Periodi legibus pentætericum Feſtum illud aliquando quidem poſt 49. aliquando vero poſt 50. menſes, inſertis opportune embolimis, redire; ſed a civili tamen menſe, cui affixum iampridem fuerat, dimoveri non poſſit.*

Nunc redeunt quarto, bis junctis menſibus, anno,
Nunc quarto redeunt, menſis ſed jungitur unus:
Sic quoque civilis ſemper veniebat in anni
Principio lætus compreſſa in litora ludus.
Adde ſupra dictis, calido quod Pindarus æſtu
Quum ludos prudens appellat *quinque dierum*,
Ultima quumque dies decimam, ſextamque coronet;
Hinc erit undecima in ludi certamine prima (1).
Queis vero plenis onerabant lancibus aras,
Quas exponebant flammis crepitantibus agnas,
Extaque adhuc pecudi, direptaque viſcera vivo;
Hæc tibi Pauſanias, dabit hæc tibi Pindarus, & quæ
Græcorum doctis extant monimenta libellis.
Præterit at quemnam, veteres tacuiſſe monere,
Qua ſerie fuerint celebrati ac ordine ludi,
Qui ſtudio primi fuerint, quive inde ſequuti (2)?
Verum perſpiciens præclari carmina Vatis,
Invenies hominum, invenies certamina equorum
Uno ducta die (3); ſic ut *quinquertia*, ſaltum,
Scilicet, & curſum, diſcum, jaculumque videres,
Et luctam; clauſit Græco quæ carmina Vates (4).

Poſt-

(1) Poter. eodem loco ad hæc ita inquit: *Quemadmodum autem iſti ludi ſingulis quinquenniis agitabantur, ita ſpatio quinque dierum durabat celebritas, initio facto ab undecimo uſque ad decimum quintum diem menſis lunaris in plenilunio:* Pindari autem teſtimonio, eiuſque Scholiaſtis ad decimam ſextam diem ludos ipſos perduraſſe, clariſſime oſtendit Corſinus noſter, qui num.8. loci ſuperius citati, ſic habet: *Ipſa tamen ludorum celebritas* undecima *menſis die incipiebat. Etenim Pindarus ipſe* (Olymp. V. ver. 13.) *Olympica Feſta ἀέθλων πενταμέρους ἁμίλλας* quinque dierum certamina *vocavit: ubi & vetus optimus ille Pindari Scholiaſter adnotavit* (ad Olymp. V. ver. 13.) *πέντε ἡμέραις ἤγετο τὰ ἀγωνίσματα, ἀπὸ ἑνδεκάτης μέχρις ἑκκαιδεκάτης. ἡνίκα δ' ἐτελεῖτο τὰ ἆθλα τῶν πενθημέρων Ἀγώνων, ἐγέραιρον τοὺς βωμούς* quinque diebus certamina agebantur, ab undecima menſis uſque ad ſextam decimam. Itaque quum quinque dierum Agones abſolvebantur, aras honorabant. Sed legendus Tzetzes ad Lycrophron. &c.

(2) *Qua vero ſerie, vel ordine omnis ludorum, ſive certaminum varietas quinque diebus illis abſolveretur, definiri certe vix poterit, quum veteres in hac parte nihil expreſſerint; & maxima ſubinde varietas in ludis ipſis invecta fuerit:* ait Corſin. loco cit.

(3) Qui ita ſubdit: *Id unum ex Pauſania* (Eliac. 1. cap. 8.) *conſtitui poterit; quod ante LXVII. Olympiadem uno, eodemque die equorum, ſimulque hominum certamina peragebantur; ut* equiriis, *tum* quinquertio, *denique, ingruente iam nocte,* pancratio *certaretur.*

[4] Et idem ibid. *Ac* Pentathlum *quidem ſive* Quinquertium, *quod* XVIII. *Olympiade receptum fuit, quinque certamina complectebatur; nimirum, ut celebri Simonidis* [Anthol. lib. 1. cap. 1. Epigr.

Poſthac luſtrares ſat lætus *equiria* campis:
Quin quum Phœbus equos prope jam demerſerat undis,
Pancratium adſpiceres, duplex certamen arenæ;
Ut pugil, & luctans certamine vir foret uno (1);
Atque hic impeteret ſinuoſis ictibus illum,
Ipſeque percuſſum pariter proſterneret hoſtem:
Non etenim contenta fuit vis percita πύγμη (2).
  Hæc conceſſa viris fuerant certamina primum;
Hinc pueris conceſſa ſimul, pariterque negata;
Ut dedit, atque ſimul rapuit *quinquertia* tempus.
Attamen hinc *curſus* pueris, conceſſaque *lucta* eſt,
Et *cæſtus* pugnis (3). Calido nam ſanguine pubes,
Laudis amans, certos poſcit ſibi fervida ludos.
  At ſi geſta die fuerint hæc prælia ſolo,
Grammatici inter ſe vario diſcrimine certant:
Aſſerit hic (4), negat ille (5). At nobis Græcia tantos
Exhibet auctores Eleo munere doctos,
Ut niſi Pindaricæ id poterunt oſtendere chartæ;
Pauſanias, Sophocles, Xenophon, quique ordine geſtas
Res ſcripſerunt, nos veterum monimenta docebunt.
  At quibus Heroes pugnabant legibus (6)? Eſto,

Eſto

Epigr. 8.] *verſiculo exprimitur:*
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην:
Saltum: curſum, diſcum, iaculum, luctam; *quorum Agonum quilibet a Pauſania, Fabro* [Agoniſt. lib. I. cap. 31.] *&* *Pottero* [Archæol. lib. II. cap. 21.] *nitide, accurateque deſcribitur.*

[1] Paullo poſt *:* Pancratium *vero Olympiade* XVIII. *receptum*, luctam, *ſimulque* Pugilatum *ita complectebatur, ut in illa quidem Agoniſtæ adverſarium proſternere, in iſto vero ictibus illum impetere niterentur.*

[2] Πύγμη Pugilatus, ſeu Cœſtuum ludicrum Olympiade XXIII. eſt inſtitutum, quo non modo inter ſe viri, ſed pueri quoque poſt Olympiadem XXXXI. certabant. Vid. Pauſan. *Eliac.* I. *cap.* 8. Potter. loco cit. &c.

[3] *Quemadmodum vero virorum Pancratium Olympiade* XXXIII. *receptum fuit, ita Olympiade* CXLV. *puerorum Pancratium uſurpatum, ſimulque repudiatum fuit. Ita quoque puerorum Quinquertium Olympiade* XXXVIII. *admiſſum, ſimulque tamen abolitum memoratur; quamvis Olympiade* XXXVII. *curſus, & luctæ; ac Olympiade* XLI. *cæſtuum certamen pueris ipſis conceſſum, poſteriſque etiam ætatibus conſervatum fuerit;* ait Corſin. ibid. Pauſaniæ auctoritate cap. 9.

[4] Sophoc. Scoliaſt. *ad Electr.*

[5] Faber *Agoniſt. lib.* I. *cap.* 31.

[6] Potter. loco pluries cit. ait : *Decreto quodam cautum fuit, ne ſervi, aut meretrices, aut iſtiuſmodi infames mulieres, ab his ludis nomina haberent: unde quæſtionem movit Athenæus, quomodo tibicina* Nemea *a ludis* Nemeis *nomina habuerit* Δειπνοσοφ. lib. XIII. *qui locus ab Harpocratione excriptus eſt. Id enim indecorum olim habuere, ſi homines condemnendæ conditionis ab illuſtri aliqua re nomen ducerent:* *quod in* cap. de ſervis *iampridem obſervatum fuit.*

Eſto procul, venter quibus eſt abdomine tardus,
Aut Sybaritarum quiſquis de gente cinæda
Deliciis dapibuſque fluens, conſperſus amomo,
Quantum vix redolent Regum duo funera (1). Membris
Solum hæc Herculeis dantur certamina. Nec jam
Tunc viles homines; Græcorum at maſcula proles
Obtinuit tantum lucta proſternere nunc ſe;
Percutere & cæſtu, multa ceu grandine nimbi
Tecta premunt; pedibus ſtadium percurrere longum;
Findere nunc auras ſaltu, & nunc tangere metam
Vix evitandam calefactis curribus (2): immo hæc
Patricios, rubroſque patres urtica momordit:
Cum Cajo, & Gorgis viſus pugnare Tiſander (3):
Nam vix credenda indixit tunc præmia claro
Græcia Victori (4); viridi quum tempora fronde
Cingebat, Vateſque modis ſociabat, & hymnis:
Tempus Olympiadis Victoris nomine nomen
Ducebat, populuſque Ducem comitabat in ædes,
Perque viam pontes regali munere celſos
Curvabat, numoſque viro, ſtatuaſque ſacrabat:
Inde domus felix, felices laude parentes;
Urbs, cives, ſocii una cum Victore beati (5).

Quid

(1) *Sybaritæ*, cives urbis Sybaris in Magna Græcia deliciis dediti fuerant præ omnibus aliis populis, erantque ingenioſiſſimi omnium voluptatum architecti. Vid. Quintil. *lib.* III. *cap.* 9. Athenæ. *lib.* XII. Plin. *lib.* VIII. *cap.* 42. Martial. *lib.* XII. *ep.* 97. *&c.*

(2) Horat. *lib.* I. *Od.* 1. de ludis Olymp. ait.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegiſſe juvat; metaque ſervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.

(3) Sunt nomina Olympic. Victorum.

[4] Ait enim Potter. ibid. *Qui in ludis, præſertim in Olympicis victores fuerant* [*iuxta Plutarchum* in ſympos. lib. II. quæſt. 6. *Vitruvium* Præfat. in Architect. lib. 9.] *in maximo honore habebantur, immo fere adorabantur: in reditu curru triumphali vecti intra Civitatem per mœnia rupta admittebantur, nimirum* [*prout notat Plutarchus*] *ut indicarent illam urbem, quam viri fortes incolunt & tegunt, muris parum indigere. In Lacedæmoniorum exercitu locum honoratum proximi ad Regem occupabant. Nonnullis in locis a Patria munera referebant; primum locum in omnibus ſpectaculis & ludis tenebant, & ad vitam ex publico ærario alebantur, prout tradit Xenophanes* Colophonius in Epigram.

[5] Et idem ibid. *Victoriæ in ludis Olympicis adeptæ, & triumpho Romæ acto parum abſimilem dignitatem tribuit* Cicero *in* Orat. pro Flacco. *Beatus credebatur, qui ſemel tantum victor fuerat: plurimum autem palmarum homo ſummum felicitatis humanæ faſtigium attigiſſe dicebatur. Sed qui in omnibus certaminibus palmam tulerat, ſupra homi-*

num

Quid tamen? Anne carent calidis hæc tempora ludis?
Immo ſuos jactat ſævo certamine. Priſcus
Nam licet interdum conſperſus ſanguine ludus
Eſſet, & opprobrium, atque inſana licentia cædis:
Nam fictis bellis Græci certamina vera
Reddebant, civis proprio quum funera civi
Sæpe daret; ſunt iſta tamen minus impia, quam quæ
Non bene morata exercet nunc prælia pubes.
Id mirum? Ipſe tamen nil facto hoc clarius addam;.
Illorum quamvis non per veſtigia tendam,
Qui rerum jactant omnes ſe noſcere cauſſas;
Et docti ut videantur, Pittacon, atque Solonem,
Archetypoſque jubent pluteum ſervare Cleanthas (1).
Hos ſi noſſe cupis, paucis, adverte, docebo.
Clunibus hi glabris poſſunt implere cathedras,
Et bene dicendi inſignis præcepta Magiſtri
Tradere: ſed tectus generoſi pelle leonis,
Ut vocem emittit, naturam pandit aſellus (2).
Quumque avidi laudis ſubſellia prima frequentent,
Adſpicies inter primos gravitate ſupina
Indignabundos oculos huc vertere, ut illuc:
Crure ſuperpoſito cruri, ſubducere mento
Dextram, atque in gyrum lateri conjungere lævam,
Rodere nunc labia, & frontem criſpare cerebro,
Tanquam de mundi diſponant ordine: amaro
Felle cachinnorum interdum hos aſpergere, & illos (3).

Quum-

num ſortem evectus, eiuſque facinora omni admiratione digna Victoriæ dictitari ſolebant, teſte Plutarcho in Lucullo. *Nec Victores ſolos, ſed quotquot iis aliquo modo affines erant, honos contingebat. Locus ubi nati & enutriti erant, honoratior & clarior inde habebatur. Beati illorum cognati, beatiſſimi vero illorum parentes.*

[1] *Solon*, & *Pittacus* Mithylenæus Græciæ Sapientes fuere; *Cleanthes* autem Philoſophus, Zenonis Stoici Athenis auditor: De quibus Iuven. *Satyr.* II. *lib.* 1. *ver.* 6. & 7. Quæ autem de ignaris hominibus hic ſequuntur, extra cauſſam ſunt. Solent enim Sermones amplificari digreſſionibus, quæ tranſlate loquendo, *evagationes a propoſito* nuncupantur.

[2] Inepti homines dum ſapientes ſeſe probant, ſermone deteguntur, hiſque convenit illud: *loquere, ut te videam.* Quare Cic. *lib.* 2. *de Orat.* optime inquit: *Qui aut tempus quid poſtulet non videt; aut qui plura loquitur, aut ſe oſtentat; aut eorum quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet; aut denique in aliquo genere, aut inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus dicitur.*

[3] Quid turpius inſipientum ſuperbia? Ait enim Horat. *lib.* I. *Satyr.* 3.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis;

Cur

Quumque nihil norint, præter tria carmina Flacci,
Hippocratis vel quinque, aut ſex apophthegmata, ab annis
Quæ teneris olim in libris didicere, loquelæ
Ceu condimentum; de re quacumque parata
Semper habent in promptu, ceu mendacia ſutor.
Attamen hi prælo ſi iterumque iterumque premantur,
Pharmacopolarum non exeat uncia ſucci.
Verum nunc ad me redeo, & ſic cetera ſolvo.
Sunt ludi, noſtro qui nunc jactantur in ævo,
Neſcio quid pejus, quam quos jactaverat Hellas.
Ac equidem priſcis ſublato jure nocendi,
Alternæque necis ſenſim diſcrimine dempto
Pugnantum turmis; converſi non tamen inde
Mores in melius. Nam pernox alea, necnon
Ludus chartarum excepit ſpectacula campi (1).
Cædes nulla licet ludis ſpectetur in iſtis;
Jure tamen nullo, nec relligione tuentur (2).
Namque illi, ut dixi, auctores habuere Deos: ſed
Quem novit loculos nempe emuncturus Achæus?
Ara Jovis poſita in medio ſacraverat illos (3):
Noſtros uberior vitiorum copia fœdat,

Et

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Neque id immerito: Subdit enim *ibid.*

At, Pater ut gnati, ſic nos debemus amici,
Si quod ſit vitium, non faſtidire.

Unde etiam Plin. *lib.* VIII. *epiſt.* 22. ait: *Eos etiam, qui non indigent clementia ullius, nihil magis, quam lenitas decet. Atque ego optimum & emendatiſſimum exiſtimo, qui ceteris ita agnoſcit, tanquam ipſe quotidie peccet: ita peccatis abſtinet, tanquam nemo ei ignoſcat . . . . Mandemus memoriæ quod vir mitiſſimus, & ob hoc quoque maximus Thraſea crebro dicere ſolebat:* Qui vitia odit, homines odit.

[1] Teſſerarum ludus, & generatim omnis ludus in varietate fortunæ conſiſtens dicitur *Alea*, qui caſu potius, quam arte gubernatur. Nomen accepit ab inventore, qui *Aleas* fuit, miles quidam in ocio Troiano. Unde Horat. *lib.* I *epiſt.* 18. *ver.* 21.

Quem damnoſa Venus, quem præceps alea nudat.

[2] Quæ enim iura, quam religionem habebunt, qui, ut *Sapien. cap. XV. ver.* 12. *Æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram?* Quare ab Ariſtot. *lib. IV. Ethic. cap.* 1. Luſores cum furibus ac latronibus commiſcentur: *Aleator, & ſpoliator, & latro ex illiberalium genere ſunt.*

[3] Onuphrius Panvinius *de ludis Circenſ. lib.* I. *cap.* 3. ait: *Ad honorem Iovis Olympii peracti hi ludi, & ad eius templum.* Mela: *in Achaia quidem Piſæ Oenomai Elis & nomen, delubrumque Olympii Iovis, certamine gymnico, ipſo ſimulacro, quod Phidiæ opus eſt, maxime celebre.* Tertull. de ſpect. *Olympia Iovi, quæ ſunt Romæ Capitolina.*

Et fraudes comitantur, & artes mille nocendi (1).
Mentitur quoties, quoties & pejerat Alcon,
Atque Deos adhibet teſtes fandi, atque nefandi.
Nec raro auditur: num ludimus ante columnas?
Num ſumus in trivio? quid nutas? hæc tua charta eſt.
Audin? mene putas cæcum? tibi, ſubdole, dico:
Jam compeſce manus, ſana ſi pelle reverti
Vis hac nocte domum (2). Tunc alter: perfide, tanta
Unde tibi ſurgit demens audacia? Tu me,
O ſimj facies, Trullæ viliſſime fili,
Tu furem appellas? tu, cui nec templa, nec ædes,
Publica nec merces dextra eſt jam tuta rapaci?
Mene patrem, matremque tuam, fratreſque, nepoteſque,
Et quæ tota tuæ ſordet cognatio gentis,
Ignorare putas? Si rurſum obſtas, caput iſto
Perfringam lychno. Et quoniam ſors improba numis
Emungit loculos, toto vomit ore venenum,
Et fremit, & queritur, culpatque hominesque, Deumque;
Immiſcetque ſacris obſcœna vocabula verbis,
Bile tumens, alter furiis agitatus Oreſtes.
Illis edidicit non exhorreſcere miles
Militis adſpectum: his qua contabeſceret arte
Ardor, & exiliens ſubter præcordia ſanguis (3).

[1] Potter. *ibid. cap.* XXII. *Nemo flagitioſus, nec eius conſanguinei in certamen admittebantur. Præterea, ad omnes fraudes præverſendas, qui adverſarium ullis muneribus corrumpere convictus tenebatur, gravi mulcta plectebatur: nec id ſolum cavebant; ſed ut omnia inboneſta pacta, & iniquas artes prævenirent, decem integros menſes in certaminibus præparatoriis ſe tranſegiſſe iurabant certantes: Immo ipſimet, & Patres, Fratreſque ſacroſancto iuramento obſtringebantur, ſe nulla iniqua, & illicita arte ludorum leges, & mores perverſuros.* At quot fraudes in noſtris ludis, quot doli, & malæ artes, quot inhoneſta, & cædes interdum reperiuntur!

[2] Multa ſunt avaritiæ damna, ira præſertim, quæ in bonorum iactura victos in victores acuit; & viciſſim: perinde quaſi iniuriam facere, id demum ſit pecunia cumulari.

[3] Hinc eleganter Salluſt. *de Bello Catil. num.* 11. *Avaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupivit. Ea quaſi venenis malis imbuta corpus, animumque virilem effeminat: ſemper infinita, inſatiabilis eſt: neque copia, neque inopia minuitur.* Et Gellius lib. III. cap. 1. *Quos avaritia minuit & corrumpit, quique ſe quærendæ undique pecuniæ dediderunt, eos pleroſque tali genere vitæ occupatos videmus, ut ſicuti alia in his omnia præ pecunia, ita labor quoque virilis, exercendique corporis ſtudium relictum, negociis ſe plerumque umbraticis, & ſellulariis quæſtibus intentos habent, in quibus omnis eorum vigor animi, corporiſque clangueſcit.* Et paullo poſt: *Nam ſi avaritia ſola ſumma, omnes homi-*

Quis color, & macies qualis ludentibus! Ira
Eſuriens, vigiles noctes, fraudataque ſomno
Corpora ab occaſu auroram uſque, & ſolis ad ortum;
Rurſus ab aurora, & ſurgente a ſole ad eum, quo
Veſpertina tepet regio; ſunt pharmaca prima
Ludentum. His hominum curſus adde, atque recurſus,
Liteſque, & ſtrepitus, olentia corpora capram,
Omnia quæ durum poſſent mactare bubulcum.
  Nec tamen his quiſquam eximitur. Si lege ſevera
Ingenui juvenes, ſelectaque corpora tantum,
Heroumque genus certamina Olympica vivis
Degebant animis: jam nunc comœdia vultu
Diſſimili induitur. Nullo cogente Nerone,
Et coram natis pater, & duce matre puellæ
Immiſtæ ludunt hac tempeſtate cinædis (1).
Ludit inops plebs, ludunt agmina patriciorum,
Cauſſidicus, judex, curator, ſcriba, patronus,
Et ludit miles, contempto & Marte tribunus,
Et pueri præclaris centurionibus orti,
Quique anguſtum, & qui latum de pectore clavum (2)
Demiſere. Anus, atque ſenex eadem movet arma;
Quorum ſtillantes oculi, atque infantia nati,
Oſque putreſcenti madidum craſſaque ſaliva

Vel

---

minis partes, affectioneſque occupet, & ſi ad incuriam uſque corporis graſſetur, ut per illam unam neque virtutis, neque virium, neque corporis, neque animi cura adſit; tum denique is vere dici poteſt effeminato eſſe animo & corpore, qui neque ſeſe, neque aliud curat, niſi pecuniam.

[1] Primum facinus & ſcelus alea eſt. Si Pater ſenex aleæ uſu delectatur, tum eius Filii adhuc bulla [inſigni ingenuorum puerorum] ornati, eodem luſu delectantur. Quare Iuven. *Satyr. XIV. v. 4.*

> *Si damnoſa ſenem juvat alea; ludit & heres*
> *Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.*
> *Nec melius de ſe cuiquam ſperare propinqui*
> *Concedet juvenis: qui radere tubera terræ,*
> *Boletum condire, & eodem jure natantes*
> *Mergere ficedulas didicit nebulone parente,*
> *Et cana monſtrante gula &c.*

Et Petrus Bleſen. *ep.* 74. *Iuvenem vitioſum non eſſe miror, cuius pueritiam Pater aleæ dedicavit.*

[2] In tunicis Romanorum *Clavi* dicebantur particulæ, ſive plagulæ ex purpura fere, de pectore demiſſæ, quibus latioribus Senatorii viri, ob id & *Laticlavi* dicti; anguſtioribus Equeſtres utebantur, unde *Anguſticlavi* appellati. Vid. Sveton. in *Claud. cap.* 24. Plin. Iun. *lib.* II. *ep.* 9. Caſaub. *ad Svet. Aug. cap.* 38. Manut *de quæſit. per epiſt. lib.* II. *q.* 2.

Vel captatori moveant faſtidia Coſſo.
  Nec tantum loculis veniunt comitantibus iſti
Ad jactum tali, poſita ſed luditur arca (1).
Quid ponis contra? Decies centena, paternaſque
Ædes, ſeu vis centum jugera. Sic perit una
Nocte ſupellex cuncta, & avitus cum lare fundus (2).
Verum dum vacua ſuſpirat nummus in arca,
Et cacoethes agit nota prorigine mentes;
Fas omne abrumpunt, tentant quæ ſingula poſſunt:
Atque unde extricant numos ſpes nulla relicta,
Cum cruſtis ſervi rapiunt emblemata (3): miles
Hibernas vendit tegetes, niveoſque cadurcos:
Cetera pars hominum parvas ex ære lebetes,
Et ſcamna, & tripodas, nigraſque ætate tabellas (4).
  Hi ſunt, qui noſtro ludi exercentur in ævo:
Num non pejores, habuit quam Græcia? Num non
Hi magis & corpus, magis & præcordia fœdant?
Hi tamen innocui (o mores! o tempora!) habentur.

[1] Quid hoc amentius? Appoſite igitur Horat. *lib.*I. *Epiſt.* 18.

Stultitiam patiuntur opes.

Et Ariſtot. *Rhet.* 2. *Stultas eſſe divitias*, ſcribit. Iſocrat. autem Areopag. *Cum potentibus ambulat amentia.*

[2] Præceps alea brevi aleatorem redigit ad inopiam. Perſ. *Satyr.* V. *ver.* 55. *Hunc Alea decoquit.* Sveton. *in Octav. cap.* LXXI. *Aleæ rumorem nullo modo expavit: luſitque ſimpliciter & palam oblectamenti cauſſa etiam ſenex.* Ubi & Auguſtus de ſe ſic ſcribit: *Luſimus per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus ...... Ego perdidi viginti millia nummum.* Vidend. idem *de Claud. cap.* XXXIII. Anne omnes divites, ut Auguſtus? Nonne ergo privatorum fortunæ una nocte perire poterunt?

[3] *Emblemata* ornamenta erant apud veteres in vaſis argenteis, aureis, Corinthiis, quæ & inſeri, & eximi poterant. Cic. *Ver.* VI. *num.* 52. *Vaſa autem, ad Verrem deferuntur, Cybiratæ fratres vocantur, pauca improbant; quæ probarent, iis cruſtæ, aut emblemata detrahebantur.* Vid. *ib. num.* 37. 46. & 49.

[4] Egentes homines magis dedecet chartis ludere: præſertim quum ea invaluit opinio, quod ſi alea luſerit pauper, aut adulterium commiſerit, damnandus eſt: ſi dives horum aliquid fecerit, iocoſus appellatur. Ad hæc Iuven. *Satyr.* XI.

Namque ibi fortunæ veniam damus.
Alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus:
hæc eadem illi
Omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur.

Ex ſumma autem pauperie ſummum dedecus: Horat. *lib.*III. *Od.*24.

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere, & pati,
Virtutiſque viam deſerit arduæ.

SERMO TERTIUS.

Celeberrimi ſecundum Olympios Pythii ludi fuere ; quorum Inſtitutores , Agonis varietas , Pythiadum intervalla , & præmia Victorum paucis exhibentur . Recens chorearum uſus, nocturnæque ſaltantium varietates , ut quæ a veterum honeſtate ludorum ac more decedentes , merito reiiciuntur .

Archippus , & Ergoteles.

Ar. TUne hic , Ergoteles ? ſed cur ? (*Er.*) meminiſſe juvabit ,
Atque iterum mecum tacita ſubvolvere mente
Nuper lecta domi . (*Ar.*) Sed quæ ? (*Er.*) Certamina Delphi .
Ar. O bone ! pauca doces ſi me, hic conſiſtere fas eſt ,
Quantum vis : aliter tua per veſtigia greſſum
Dirigo . Tu mihi eris Chilo ; auditoris & ipſe
Exhibeam partes : quæ ſunt carpenda , notabo .
Er. Cedo equidem : nec ego ex illis ſum tam capite amens,
Qui rerum voces quum vix didicere , libenter
Aut plenis pugnant buccis abſolvere ſontem ,
Inſonti aut urgent nigrum præfigere theta .
Ergo te paucis : ſed primo exordiar ævo ,
Ut quid principii , ut medii quid conſtet , & imi .
Poſtquam Pythonem (dicit pars una Tyrannum (1),
Al-

(1) Onuphr. Panvin. *lib.* I. *cap.* III. *de Ludis Circenſ.* ita ſcribit : *Erat & Pythium* (certamen) *a Pythone ab Apolline occiſo nuncupatum , ſive a loco , ubi ſerpens putridus poſt cædem tabuerat .* πύθεσθαι enim eſt σήπεσθαι , *tabe infici : ſacrum erat Apollini poſt cædem ſerpentis . Agonothetæ ibi Amphictyones , erant ita appellati , & ex duodecim nationibus Græciæ electi .* Vid. Pind. Schol. Ode IV. *Pyth.* Sed Iulius Cæſ. Scalig. agens de *Comœd.* & *Tragœd.* cap. XIX, Hæc habet : *Præterea Pythia Apollini dicata quis dicat in honorem cæſi Draconis ? Profecto ſcelerato Draconi cum eius interfectore , eoque Deo nobiliſſimo communem gloriam facere , nefas arbitror .* Et paullo poſt : *Eorum originem ad hunc modum prodidit Clearchus Solenſis Ariſtotelis Diſcipulus in primo lib.* Proverbiorum . *Latona ex Eubœa Chalcide Apollinem Dianamque reportabat Delphos . Ad Pythonis ſpeculam admotis veſtigiis , ab eo improviſo pene oppreſſi , niſi puello Mater animos* id-

Altera pars anguem) telis pharetratus Apollo
Perdomuit, ſtratumque ſolo ſic tempore longo
Exanimem liquit, donec tabeſceret intus,
Atque putreſcenti macie corrumperet auras;
Tunc, ut nota viris eſſet victoria tanto
Obtenta e monſtro, hæc poſuit certamina Delphis,
Nomine Pythonis quæ dixit *Pythia*. Quare
Mos vetus hic ludi eſt (1); qui longo exinde ſepultus
Tempore, cum ludo periit prope fama; nec ultra
Repſiſſet nomen, niſi tunc Amphictyonum armis,
Theſſaliæque duce Eurylocho, ſub Marte perirent
Criſſenſes ac Cirrhæi, qui Delphica templa
Neſcio quo turpi fœdarunt crimine (2). Pythj

Hinc

addidiſſet, ut ſagittis, quas habebat, peſtem illam occuparet. Acclamatio fuit *ἰὲ παῖ, ἰὲ παῖ: unde nomen ei factum aiunt certis ſyllabis additis, παιὰν, παιὼν, παιήων. Narrant etiam lapidem a Latona intentatum: alii dicunt Apollini porrectum antequam animadvertiſſet illum cum telis eſſe. Eum poſtea lapidem in Delphis repoſitum ſub ænei Latonæ ſigni pedibus. Strabo ex Ephori* hiſtoria *Pythonem latronem fuiſſe tetrum ac cruentum, qui infeſſis itineribus infeſtam faceret provinciam: quapropter Draconis cognomen inditum a maleficio. Tanta peſte ſoluti Delphi pro recepta libertate ludos quaſi beneficiarios celebrandos curavere*. Sed & idem *ibid.* fabuloſam etiam huius feſtivitatis originem adducit; de qua ſic Ovid. *lib.* I. *Metamorph. fab.* VIII.

> *Hanc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis*
> *Ante, niſi in damis capreiſque fugacibus, uſus,*
> *Mille gravem telis exhauſta pene pharetra,*
> *Perdidit effuſo per vulnera nigra veneno.*
> *Neve operis famam poſſet delere vetuſtas,*
> *Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,*
> *Pythia, de domitæ ſerpentis nomine dictos.*

[1] Scaliger. *loco cit.* de Pythiorum antiquitate ita loquitur: *Tametſi Olympia præferebantur, propterea quod ſupremo Deorum Numini eſſent attributa; Pythia tamen vetuſtate anteibant: quippe ab Hercule Olympia inſtituta. Alii verius tradunt, Pelopem, a quo Oenomaus curru victus fuerit, anniverſarios ludos indixiſſe: eoſque intermiſſos, poſtea ab Hercule inſtauratos, Augea male mulctato. Hercule igitur, & Pelope quum fuerit antiquior Apollo, quos ipſe ludos dicaris, illorum æque ludis vetuſtiores arbitrari par eſt: nam Nemea, & Iſthmia longo poſt tempore inchoata.*

[2] Id. ib. *Quos ludos auctis poſtea rebus auctos ab Amphictyonibus ſub Eurylocho, addito equeſtri ſimul, atque gymnico certamine, Victori præmium corona. Introducti quoque tibicines cum citharœdis: item Cithariſtæ ſine cantu: quorum modos appellarunt* πυθικὸν νόμον. Et Corſin. clarius *Differt.* II. *Agon. num.* I. ait: *Ubi vero Amphictyones Cirrhæos, ac Criſſenſes, qui Delphicum Templum violaverant, ſacro diuturnoque bello, Eurylocho Theſſalo Duce, ſuperaſſent, Ludos ipſos, qui iam fere obſoleverant, inſtaurarunt, eoſque clariores, nobilioreſque reddiderunt. Etenim cum ſolo citharœdorum certamine olim peragi, laureoque ſerto, veluti victoriæ præmio, decorari ſolerent; tibicinum quoque, ac virorum ad tibias*

ca-

Hinc factum, ut melior reniteret gloria ludi.
Nam primum *citharæ* ſonitus ſpectacula campi
Omnia complebat: citharæ pulſator Apollo
Nam fuerat: quæ fama tamen, nomenque, decuſque
Crevit, quum longo fuerat revocata ſepulcro.
Extulit hinc primum ſtridentem *tibia* vocem;
Vox hominum conjuncta ſimul, ſimul addita vatum
Carmina dulciſono cumulabant omnia faſtu (1).
Nec tamen eſt numeris, dictiſque licentia major
Conceſſa, ut quiſquam non convenientia poſſet,
Aut ſaltem effutire obſcœna vocabula. Namque
Id ſcelus, id cœnum eſſet, quod certe ſequeretur
Pœna comes: Divis dederat nam Græcia ludos (2).
His pariter confecta manu, pedibuſve, rotave,
Ordine quæ juvenes facerent certamina, necte.
Namque *aſſis fidibus* recinentibus, additus hinc eſt
Curſus, quem certans gravibus ſolvebat in armis.
Hinc cœptum *bigis* certari: hinc axe revinctis
Decurſum eſt *pullis*: ſimul hinc *pancratia* forti
Addita ſunt puero; veluti conceſſus eidem
Injugis eſt *pullus*, firmo qui pectore bigas
Traxit (3): *picturæ* ut taceam certamina (4), magnam

Quæ

---

canentium certamen adiectum, Victorique non laurus, ſed pecunia conceſſa fuit: quamvis Pythiade mox inſequuta Agon ipſe non χρηματίτης pecuniarius, ſed στεφανίτης coronarius *iterum decretus fuerit. Hæc omnia nitide diſerteque Pindari Scholiaſtes expoſuit, ſimulque temporis charactere expreſſit, quibus & Cirrhæ direptio, ac uterque Pythicus Agon ille contigerit &c.* Vid. Onuphr. Panvin. de *Ludis lib.* I. *cap.* 111.

[1] Corſin. *loco cit. num.* 13. hæc ſubdit. I. *Pythiade, quam Olymp.* XLVIII. *an.* 3. *incidiſſe iam diximus, non modo cantus ad citharam, qui iam obtinuerat, ſed tibiæ quoque, ſimulque cantus ad tibiam eſt uſurpatus, eademque prorſus certamina ſunt inſtituta, quæ in Olympicis ludis, quadrigis tamen exceptis, adhibebantur; niſi quod pueri ſolum tum* δολίχῳ, *tum* διαύλῳ *hoc eſt tum* longiore, *tum* iterato *curſu certabant.*

[2] Vid. Serm. antec. *de Ludis Olymp.* nota 1. pag. 7.

[3] Omnia hæc certamina id. Corſin. eodem loco ita diſtinxit:

II. *Pythiade, qua certamen coronarium evaſiſſe diximus, aulœdorum quidem certamen abolitum eſt; ſed equorum tamen, quadrigarumque curſus adiectus fuit.*

VIII. *Pyth. Qui aſſis fidibus, hoc eſt ſine chori voce canerent, ſunt inſtituti.*

XXIII. *Armatorum curſus acceſſit.*

XLVIII. *Bigis certari cœptum.*

LIII. *Pullis ad currum iunctis decurſum eſt.*

LXI. *Puerorum Pancratium eſt inſtitutum.*

LXIII. *Pullus iniugis inter pueros receptus fuit.*

LXIX. *Pullorum bigæ admiſſæ fuerunt.*

[4] *Denique non equeſtris ſolum, gymni-*

Quæ tali in ludo partem tenuere. (*Ar.*) Sed Hellas
Quali hos, vel quanto celebrabat tempore ludos?
Er. Longa eſt hiſtoria: aſt paucis quæſita reſolvam.
Grammaticos inter bellum eſt: pars una ſecundis
Pythia Olympiadum ponit certamina in annis;
Altera pars melius venientem ducit in annum
Sic, ut Olympiadis tunc ſit jam tertius annus,
Qui non incipiat, potius ſed fine recedat (1):
Hæcque viris doctis propria eſt ſententia, multis
Nixa argumentis, veterum quæ marmora præbent,
Quæque homines, vateſque ſimul liquere libellis (2):
Nec quæras quanto hic redeat poſt tempore ludus.
Tempus Olympiadis nonne hic complectitur? Ergo,
Fabula clara eſt, hic quinto quoque pervenit anno (3).

Ce-

---

nicis, muſiciſque certaminibus, ſed picturæ quoque contentione Pythicos ludos exornatos fuiſſe, idque vel ipſa Phidiæ ætate obtinuiſſe, facile ex Plinio deprehendit Faber [Agoniſt. lib. II. cap. 24.] *qui Panæum Phidiæ fratrem omnium primum cum Timagora Chalcidenſi* picturæ certamine *contendiſſe, atque ab eo Pythiis ſuperatum eſſe teſtatur* [lib. XXXV. cap. 9.] *; idque in Iſthmicis etiam Plinius, in Olympicis vero obtinuiſſe Lucianus aſſerit* (In Aetione). Verba autem Fabri mox citati hæc ſunt : *Nec muſicæ modo, ſed picturæ quoque certamen Pythiis, quo Panæus frater Phidiæ a Timagora Chalcidenſe fuerit ſuperatus. Sed & Iſthmiis apud Corinthum inſtitutum fuiſſe, auctor mihi Plinius initio* cap. 9. lib. XXXV. *in hæc verba ſcribens:* Quinimmo certamen picturæ etiam florente eo [Panæo] inſtitutum eſt Corinthi ac Delphis : primuſque omnium certavit cum Timagora Chalcidenſe, ſuperatuſque eſt ab eo Pythiis ; quod & ipſius Timagoræ carmine vetuſto apparet : Chronicorum errore non dubio. Hactenus Faber.

(1) Corſin. *loco cit. n. 6.* Opinionum varietatem in definiendis Olympicis annis, quibus Pythiades celebrari conſueverunt, clariſſime explicavit; demonſtravitque, Pythicos ludos a Scaligero quidem, ac Meurſio in tertios; a Petavio autem, Dodvello, Petito, aliiſque pluribus in ſecundos Olympiadum annos referri ; ut alii quidem ineuntibus, alii vero exeuntibus potius Olympicis annis Pythia conceſſerint.

[2] Et N*um. 6. 7. 8. 9.* non ſolum Pythicos ludos tertiis Olymp. annis celebratos eſſe Pauſaniæ, Diodori, Euſebii, Oxonienſis marmoris teſtimonio, ſimulque duarum Pythiadum exemplo ex Demoſthene, atque ex Æſchine demonſtravit ; ſed ſequioribus etiam temporibus ludos ipſos tertiis Olymp. annis peragi conſueviſſe, Pythiadis alterius exemplo ex Philoſtrato confirmavit. *Ergo*, ſic concludit auctor clar. *perſpicue apparet, hæc* (Pythia) *exeuntibus* tertiis *Olympiadum annis, nimirum circa Gamelionem* [Ianuarium] *vel Antheſterionem* [Februarium] *menſem peragi conſueviſſe*.

[3] Delphicas Pythiades antequam cum Olympicis ludis una ſublatæ fuerint, nunquam *trietericas*, ſed *pentatericas* ſolum fuiſſe contra Dodvellum clariſſime demonſtravit Corſinus *loco cit. num. ult.* qui ita concludit : *Perſpicue erudimur Pythicos ludos non* trietericos, ſed pentatericos *ſolum fuiſſe ; ipſoſque non* ſecundis, *aut* quartis, *ſed* tertiis *ſolum Olympicis annis celebratos eſſe perſpicue ſatis contra Petavii, Dodvellique ſententiam a me demonſtratum eſſe confido.*

Digitized by Google

Cetera clara ſatis reputa. Namque addita ludo
Tempora quid quæras? Etiam ſub judice lis eſt:
Longa tamen ſeries ludorum, prælia pubis,
Bigarum curſus, equitum peditumque recurſus,
Cunctaque ſcripta tibi jampridem ludicra, ſaltem
Quatuor expleta oſtendunt, vel quinque diebus (1).
 Ludorum Victor lauri de more corollas,
Vel magis eſculeæ capiebat frondis honorem;
Nondum laurus erat, cecinit ceu carmine Naſo (2):
Attamen interdum capiebat præmia numi (3).
Aſt hæc longa forent nimium, poſſentque loquacem
Delaſſare etiam Fabium (4); quæ ſi recitarem,
Vel dormitabis, merito aut me verbere lædes.
 Ar. Sint ſatis iſta tibi, ceu vis. Mihi ſi tamen horæ
Momentum detur, tanquam hoc certamine ducta
Percipies nonnulla, tibi quæ forte placebunt.
Dant etenim tantam ætati nunc tempora noſtræ
Materiem, toto quæ impleret margine librum:
Pauca tamen referam: trutinabo verba labello.
 Civibus hos dedit exercenda ad corpora ludos

Græ-

---

[1] Plurima quidem Pythiorum certamina. Nam præter ſuperius dicta, Potterus *Archæol.græc.cap.*XXIII. ita ſcripſit: *Præterea omnia Gymnica certamina, quæ in ludis Olympicis obtinebant, in Pythiis agitata ſunt, lexque lata eſt, qua ſolis pueris curſu contendere licebat*. Et paullo poſt: *Tandem tum equeſtres, tum curules ludi circa tempora Cliſthenis Argivorum regis, qui in iis vectus quadrigis primus palmam tulit, introducti ſunt*. Itaque ut Corſini *num.* 13. verbis utar: *tanta ludorum varietas ferre vix poterat, ut ipſorum ſingula una eademque die commode peragerentur: adeoque veriſimilius eſt certe Pythiorum celebritatem pluribus diebus abſolvi conſueviſſe*.

[2] Ovid. *Metamorph. lib.*I. *fab.* VIII. proxime carminibus antea allatis, addit.

Hic juvenum quicunque manu, pedibuſve, rotave
Vicerat, eſculeæ capiebat frondis honorem;
Nondum laurus erat.

Et Potter. ibid. *Circa illud tempus præmia, quæ antea pretioſa fuerant, in coronas, & ſerta transferunt*. Onuphr.autem Panvin. *cit. loco*, non ita habet: dicit enim: *In ipſo laureæ præmium*: exhibetur in Delphis laurus, *inquit Pauſan.* in Arcad. Vid. Corſin. & Scalig. ſup. cit. alioſque.

[3] *Probabile eſt*, ait Potter. loco cit. *hos ludos aliquando* ἀργυρίτας, *& alio tempore* στεφανίτας *fuiſſe*; quod idem eſt, ac ſi *pecuniarios*, & *coronarios* dixiſſet. Ita Scalig. Corſin. aliique.

[4] Sunt qui Fabium clamoſum, verboſum, loquacem Cauſſidicum eſſe dicunt, quem vellicat Horat. *lib.* I. *Satyr.* 1. Vetus autem Interpres inquit: *Fabius Narbonenſis, equeſtri loco natus, Pompeianas partes ſequutus de Secta Stoica nonnunquam cum Horatio acriter contendit: Scripſit etiam aliquos libros de Philoſophia Stoica*.

Græcia, & hos poſuit, Divi voto ut colerentur
Perpetuo, utque bonis pubertas creſceret aucta
Moribus, & nullo tabeſceret uncta veneno (1).
Sed noſtra antiquæ ætati nihil invidet ætas:
Jactat & ad ſonitum citharæ, lituique fragorem
Eximios ludos; multo & ſudore madeſcens
Exercet vivis animis certamina pubes.
Immo (quod mirum eſt) imbellis femina, & ipſa
Virgo, ni blæſa, at ſaltem vix apta marito,
Multo agitant artus hac tempeſtate labore.
Idne tibi forſan ſatis incredibile? At eſto
Nunc animis: ex hoc forſan miracula promes.
En ludi vicina dies: ſententia lata eſt
Aut trivii in medio ſcriptis ſuſpenſa tabellis (2),
Aut currente hominum ſublimes voce per ædes.
Ingenui juvenes, equites, ac patriciorum
Agmina, feſtivo comptis de more capillis,
Præcincti gladiis, ac oſtro, auroque rigentes,
Conveniunt pariter (3). Sed nondum copia magnos
Completa ad ludos: ſupereſt pars major, & illa,
Quæ primum campo præbet ſpectacula. (*Er.*) Sed quæ?
Ar. Neſcis adhuc? Matronarum gravia agmina, cœtus
Inde puellarum, nimium pars nobilis: immo
Hæc anima eſt ludi, jactat quæ Numen in ore (4).
Er. Sed quorſum hæc mora? (*Ar.*) Res magnas patientia vincit:
Cuncta ſcies animo ſervans mea dicta fideli.
Er. Ut libet, attendam. (*Ar.*) Matronis, atque puellis

D Diſ-

[1] Ita profecto. Nam *qui laboret, pericula, dubias, atque aſperas res facile toleraverant, iis ocium, divitiæ, optandæ aliis, oneri, miſeriæque fuere*, ait Salluſt. *de Bello Catilin. num.* 10.

[2] Mos eſt apud omnes, ut drammatum, comœdiarumque tituli, ac Theatralium ſpectaculorum dies, magnis inſcripti litteris, triviorum parietibus ſuſpendantur, ut, quum tranſeuntibus commode innoteſcant, maior fiat civium concurſus.

[3] Tali homines cultu nonniſi vanitatem muliebrem patefaciunt. Nam ait Bernard. *Hom.* IV. *in Evang. Quod pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur; quia nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui, ubi ab aliis non poſſit videri.*

[4] Homines neſcio qua dementia capti pene Numina ex feminis ſibi vindicant. Quare illis prædicaſſe videtur *Oſea cap.* VIII. *ver.* 4. quum ait: *Fecerunt ſibi idola, ut interirent*: idque non mediocri Dei Op.Max. offenſione atque iniuria. Nam *ad Rom. cap.* 1. *ver.* 25. *Commutaverunt vanitatem in mendacium, & coluerunt.*

Diſſimilis ratio eſt pugnantibus; armaque pugnæ
Nondum corripiunt, ni totum ad prælia corpus
Diſponant (1). Igitur pennata ſede cubantes,
Et ſpeculo, unde ſibi ſimulatrix umbra reſultat,
Ante oculos poſito, diſcinctos pectine crines
Hinc primum variis conſtringunt nexibus: inde
Unguento, & cocto ſpargentes pulvere Cypri,
Ut ſint flaventes; hinc, illinc annulus adſtat,
Qui caput in gyrum a gemina complectitur aure.
Crinibus hinc aliis, quos jam calamiſter, & ignis
Et duros nimium, ac altos porrexit in altum,
Vertice ſublimi Ægypti fit pyramis (2), in qua
Tot ſplendent gemmæ, quot vix dedit India. Quod ſi
Pallenti nimium langueſcit femina vultu;
Ars ſupplet, minioque genas aſtuta rubentes
Reddit, ut in toto fulgens ſit vertice. (*Er.*) Proh Dj!
Quid vero ad ludos hæc compti pompa capilli (3)?
Ar. Deſine, nunc capies: tamen oh! majora videbis.
Vertice compoſito, ancillarum copia præſto eſt.
Anglorum hic telæ ſubtili pectine textæ,
Sericæ & hinc pictæ, prudens quas Gallia mittit
Arte laboratas, fulgenti & murice tinctas,
Veſtes, extenſæ cumulant penetralia cellæ (4):
At Domina ex tantis unam ſibi deligit; & qua
Dum tegitur, motu quo non vexatur? Inepta (5),

Quid

[1] Arma, quibus mulieres utuntur ad ſpectacula, nocturna præſertim, conficienda, ornamenta ſunt corporis, exquiſitæque ingenioſæ artis pulcritudines: unde illud ſibi verius explicetur. *Eccl. cap.* 1. *v.* 2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

[2] *Pyramides* in Ægypto uſitatæ, moles erant quadrangulares, ab imo latiſſimæ, quæ in acutam figuram deſinebant; ab igne ſic dictæ, qui πῦρ græce appellatur: tanta vero aſſurgebant altitudine, ut inter ſeptem orbis miracula recenſerentur. Eo autem luxurioſa capillorum vanitas proceſſit, ut mulieres modo unam, modo alteram diſpoſitione crinum imitentur figuram; pyramidem præſertim, in qua *niveos* [ut ait Horat. lib. I. Sat. 2.] *virideſque lapillos*, vario diſpoſitos ordine architectantur.

[3] Nimiæ corporis vanitates ſpirantem, & pene mortuam animi pudicitiam oſtendunt. Quare Cypr. *de Abitu Virg. Nullarum fere pretioſior eſt cultus, quam quarum pudor vilis eſt.*

(4) *Veſtium cultus aut ambitionem paſcit, aut proſtitutionem*, ait Tertul. *de Abitu mulier.* Quare *Sophon. cap.* 1. *ver.* 8. *Viſitabo ſuper omnes indutos veſte peregrina.*

(5) Hæc, & quæ ſequuntur ſunt Matronarum iuſſa, ſtrepitus, ac querimoniæ; quibus ſi famulæ non ſatis fortaſſe fecerint, herili etiam indignatione plectuntur.

Quid laxas? conſtringe latus: da vincula retro:
Sit caſtigato planus ſub pectore venter:
Sint humeri circum nudi, ſuper aurea torquis:
Sint violæ in medio pallentes pectore, anethum,
Narciſſuſque roſa immixtus: nam mollia nuſquam
Conſita luteolis ſat ſunt vaccinia calthis:
Omnia ſint tandem .... (*Er.*) Dementes numina perdant!
Qui ludi ritus! (*Ar.*) Ritus, quos noſtra repoſcit
Ætas. Sed brevior nobis ſit fabula. Præſens
En ludi tempus. Lectica hæc fertur; & illa
Suſpenſis ſellis; hæc perſonat axe citato.
Jam veniunt, mediaque ſimul ſtatuuntur in aula.
Aula micat pleno tædarum lumine ceræ:
Hic ac inde lyræ ſonitus: Citharœdus in alto (1)
Plectra quatit podio; quo cum tibicen, & inflans
Cornicen urget humum talis, reprimitque labellum.
 Hinc Matrona potens, mediam quam ducit in aulam
Patricius, ludi tandem dat ſigna recepti,
Et poſita in medio tentat certamina. Quare
Vertice ſublato ſic, ut prope ſidera luſtret;
Hinc pandens oculos, tanquam ſpectacula Circi
Spectet, & elato producens pectora gyro;
Brachia dat lateri, duplici ceu conſita filo:
Flebilibuſque modis huc illuc lumina vertens,
Grata acie optanti tacitos inſpirat amores (2).
Jamque movet lævam, dextræ quam jungit amici:
Jamque pedes ſeparat, numeroſaque brachia ducit.
Hinc quæ depreſſa educunt ſuſpiria voce!
Quæ verba eructant ſcribentes Zeta (3) per aulam!
 Er. Magna hæc! Aſt aliæ nunquam ſe ad bella laceſſunt?
 Ar. Nec mora, nec requies: nullo diſcrimine ſurgunt;
Hic dominam, illa virum, choreæ vocat iſta magiſtrum:

(1) De his qui citharam apud veteres pulſabant, qui tibia, quive cornu canebant, fuſius egit Buleng. *de Antiquis Romanorum Theatris*, mox citandus.

(2) Nonnus Panopol. p. 231. *Dionyſiac.* graphice hæc deſcripſit; quem ita ex Græco Iul. Cæſ. Buleng. *lib.* I. *de Theatro cap.* 51. in Latin. vertit: *Rotabat oculos vagos, texens geſtum intelligentem, verborum imaginem nutu artificioſo, & caput movit.*

(3) Choream ſcilicet illam, quæ vulgo *Menuet* appellatur, quaque a graviori Matrona ac Equite ſpectacula chorearum inchoantur. Ad hæc vid. Iuven. *Satyr.* XI. *ver.* 171. *& ſeq. & Satyr.* VI. *ver.* 248. *&c.*

Se rapiunt manibus: vario ſua prælia gyro
Componunt: bini vadunt, redeuntque quaterni:
Mox capite, & toto flectuntur corpore, ut ulnis
Elatis arcu, properans pars una cohortis
Tranſeat, & rurſus delecto in limine ſiſtat (1):
Et citharæ ad ſonitum complent ſic ordine pugnas.
  Anne hinc pugnantum voces, & ſæpius iras
Carminibus referam? Calefacti Marte propinquos
Objurgant ſtantes, confundunt faſque nefaſque,
Fœdis ſacra modis, ludis gravia, & ſale multo
Adſpergunt homines leviori crimine fœdos (2).
  Quod ſi pro teneris una eſt verecundior annis,
Atque pedes levibus nondum movet apta choreis:
Hinc quum vix cupidos bis ſex compleverit annos,
Audax ad choreas e tantis deligit aptos
Mentis ad arbitrium propriæ ſine ſorte Trebonos (3).
Cetera quid dicam? Sunt Numina. Brachia circum
Si Saturnus habet; gemmis ſtipata puella eſt:
Sique Jovem ſequitur quadruplex de more ſatelles (4);
Mille ſatellitibus mulier præcingitur: & ſi
Poſt ternos ſoles, tripodas calcante puella,
Obſignata prius dicta eſt ſententia Delphis (5);
Nunc tripode elatæ nimia gravitate puellæ
Dant præcepta; quibus ſi non obtemperat audax
Turba cinædorum ſœcunda e gente Meneni,
Non manus, aut oculi, non lingua abſcinditur; ipſa
Ex ore, ex oculis, totaque excluditur æde.
  Er. Portentum narras! Sed tandem dic mihi, quinam
Sunt ludi? (*Ar.*) Choreæ. (*Er.*) Et campus certaminis? (*Ar.*) Aula.
  Er. Queis armis? (*Ar.*) Venere. (*Er.*) Et ludi quæ præmia?
(*Ar.*)

(1) Altera hæc eſt choreæ deſcriptio, quæ vulgo vocatur *Contraddanza*.

(2) S. Hieron. in *Elevid. Ubi*, ait, *tympana ſonant, tibia clamitat, lyra garrit, quis ibi Dei timor?* Et idem *in Vita Hilarion. Tactum, & iocos morituræ virginitatis principia appellat*. Vid. S. Ioan. Climac. *Gradu* XIV.

(3) Sceleſtos ſcilicet homines, ut Trebon. ille, de quo Horat. *lib.* I. *Satyr.* 4.

(4) De Saturno brachiato, ac Iovis ſatellitibus, paſſim Aſtronomi, quos conſule.

(5) Pythia, Phœbas, ſive Sacerdos Apollinis Delphici repleta furore, crinibuſque reſolutis, ac ſpumas ore emittens, de rebus cum futuris, tum dubiis reſpondebat. Cic. I. *de Divin. cap.* 29. *Mentem Pythiæ divino afflatu concitabat*. Oracula autem reddebantur annulo obſignata, ea lege, ne niſi poſt triduum reſignarentur. Prævaricatoribus orbitas oculorum, vel linguæ iactura, vel manus obtruncatio pœna erat. Vid. Liv. *lib.* XXXVIII. *cap.* 48.

(*Ar.*) Crimen (1).
Er. O morum improbitas! rerum o turpiſſimus uſus!
O ſcelus! o hominum dementia, qui rationem,
Qua bene donantur, Veneris ſub imagine perdunt!
Dumque animus vecors vitio torpeſcit in omni,
Viribus haud propriis, nec libertate fruuntur (2).
Ar. Nec ludit choreis minimi gens parva popelli;
Sed gravis, & dives: quorum certamina, mane
Ad galli cantum vix ceſſant (3). Denique laſſa,
Non contenta tamen, choreas gens linquit, & ædes
Inde ſuas repetit patulo cum crimine. Namque
„ Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
„ Crimen habet; quanto qui peccat, major habetur (4).

SER-

[1] Opportune ad hæc S. Cypr. *lib.* II. *ep.* 2. *Adulterium diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum Matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica.* Conſulendi Athenæus *lib.* I. Plutarc. *lib.* VI. *Sympos.* Apulei. *Apolog.* & *lib.* X. *Metamorphoſ.* Plato *lib.* II. *de Legib.* Lucian. *de Saltat.* & *lib.* II. *Anthol.*

[2] Cic. Parad. 5. *An ille mihi liber videatur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præſcribit, iubet, vetat quod videtur: qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet? Poſcit? dandum eſt. Vocat? veniendum? Eiicit? abeundum. Minatur? extimeſcendum. Ego vero iſtum non modo ſervum, ſed nequiſſimum ſervum puto.* Quin homines amore ſuccenſi ſuam ſibi perniciem moliuntur. Nam *Eccl. cap.* IX. *v.* 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt: ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcent.*

(3) Baſilius *Homil.* IV. *in Examer.* ita ait: *Quædam Urbes ab orto ſole ad Occaſum ſpectaculis præſtigiatorum omne genus paſcunt oculos, & canticorum fractorum, ac corruptorum, quæ intemperantiam animis ingenerant. Orcheſtra, quæ abundat ſpectaculis impudicis publica eſt, & communis ſchola impudicitiæ iis, qui aſſident. Et tibiarum cantus, & cantica meretricia inſidentia audientium animis, nihil aliud perſuadent, quam ut omnes fœditati ſtudeant, & imitentur citharistarum, aut tibicinum pulſus.*

(4) Iuven. *Satyr.* VIII. *ver.* 140. Quare Salluſt. *de Bello Catilin. num.* 51. ait. *Qui magno imperio prediti in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna, minuma licentia eſt.* Eoque etiam Seneca *Aganten.*

Perlucet omne regiæ vitium domus. Qui ergo in excelſo vitam agunt, *perpendant*, inquit Cic. ad Q. Frat. *in omnibus rebus, quas ſtatuent, quas decernent, quas agent, quid tantis hominum opinionibus, tantis de ſe iudiciis, tantis honoribus debeant. Cum permagni hominis eſt, & ipſa natura moderati, tum vero etiam doctrinæ, atque optimarum artium ſtudiis eruditi, ſic ſe adhibere in tanta poteſtate, ut nulla alia poteſtas ab iis, quibus præſit, deſideretur.*

SERMO QUARTUS.

Nemeacus Agon Olympicis, Pythiiſque Græcorum ludis accedebat. Hinc de Nemeæorum origine, reſtauratione, celebritatis tempore, præmiis, ceteriſque poetico more diſſeritur. Dementia nonnullorum, qui numeros in Sortitionis ludo ſomniis, maliſque artibus eligunt, quum revera tempus, mores, rem conterant, reiicitur iure, meritoque notatur.

Adraſtus, & Parthenopæus.

Ad. Tertius accedo: nobis nam tertia duxit
Ætas materiem, quo nunc celeberrima poſſem
Cetera Græcorum deſcribere prælia (1). Quare
Non ego plura moror. Si quid narravero ab ovo,
Olim quod Nemeis in ſilvis accidit; hujus
Protinus en ludi toto diſcrimine nomen,
Immo & principium, & tempus clareſcet, & auctor.
Argolici Reges junctim fera fulmina belli,
Undique jam Thebas cingebant milite; quum eheu!
Neſcio quo fato (defectu credo cerebri,
Femina quo caret) Hypſipyles jam regia nutrix
Infantem Archemorum, antiquo vel nomine Opheltem,
Quem Eurydice, magnuſque ſimul genuere Lycurgus,
In prato, viridique ſuper deliquerat herba,
Donec aquæ fontem dulcis reperiret, ut inde
Indomitæ ipſa ſitis repetito extingueret hauſtu
Ingentem rabiem: nil nam pluit undique Cælum,
Græcorumque diu jam circum campus arebat.
Dumque it, dumque redit, detecto & flumine dulces

Hau-

(1) Singulis annis huiuſmodi Sermones habiti ſunt in publicis Collegii Regalis noſtri Academiis: Quare hic ordine tertius eſt: primus enim fuit de *Olympicis*; ſecundus autem de *Pythiis* Græciæ Ludis.

Haurit aquas; Infans male lictus, regius Infans
Dente perit colubri, & morſu mactatur acuto (1).
Ah puer! Ah potius tu infelix regia nutrix!
Quæ Regis rabie, merita vel morte perires,
Quam Nemeæorum Regis de ſanguine natus,
Jam viduus nato, properaret cæde Lycurgus;
Ni ſimul heroes, bello quos duxit Adraſtus,
Argolicique duces regalis pectoris iras
Lenirent verbis, mœſtos ac inde dediſſent
Forte celebrandos proprio jam militi agones.
  En tibi clara rei ſeries, en abdita ludi.
Principium, pueri mors: Thebæ obſeſſio, tempus:
Tot Regum pietas, auctores: denique nomen
Dat nemus, aut regni titulus. Sed verius addam,
Contendamque ſimul: Nemeos dementia ludos
Feminea hos poſuit: nam femina ni foret, atro
Quæ puerum viro mactandum linqueret; actum
Eſſet de ludis, aliis data carmina vatum.
  Cetera perſolvam paucis. Fortaſſis agoni
Qui Nemeo præerant, eſsetque Corinthius heros,
Prætor an Argivus, vel quiſquam ex urbe Cleona,
Lugubre ſquallebant, ceu mœſto in funere, veſte;
Atque erat ex apio Victor redimitus amaro (2).

Nec

[1] Horum originem deſcripſit Scaliger *de Comœdia*, & *Tragœdia* cap. XXI. *Argivorum Nemea regio eſt, a cognomine Iovis, & Lunæ filia Nympha. Alii a paſcuis armentorum agri, quæ Iunoni ſacra eſſent. Nonnulli a Danai liberis. Ea in terra, Thebas Argivi quum peterent, ſiti fatigatus exercitus Hypſipylen habuit obviam Lemni Reginam geſtantem Ophelten puellum, Eurydicæ, & Licurgo ſatum, qui flamen Dialis erat: quanquam Ophelten alii Creuſæ, & Eupheti prodidere. Hypſipyles ductu, atque indicio inventis aquis, dum ſolvunt ad fontem ſitim, relictum ab ea in pratis infantem Draco necat. Illi reverſi belluam interficiunt; & certamen indicunt funebre triennale. Primum ſolum certarunt milites: deinde etiam populus admiſſus*, &c. Hypſipyles autem Lemni Regina, Regno expulſa, & Nemeo ſeu Lycurgo Regi vendita Archemori nutrix evaſit: Qua de re Corſin. *Diſſert.* III. *Agoniſt.* num. 1. ſic rem deſcripſit: *Archemorus, vel, ut alio nomine prius appellabatur, Opheltes, Euphetæ, & Creuſæ, ſive potius Eurydices, & Lycurgi Nemeæorum Regis filius, cum ab Hypſipyle ipſius nutrice puerulus in prato relictus eſſet, a ſerpente occiſus fuit. Leniendo nutricis, vel parentum dolori Heroes illi, vel Argivi Reges, qui Adraſto Duce Thebas obſidebant, prope Nemeum nemus, aut pagum, qui inter Cleonas, & Phlyuntem reperiebatur, funebres quoſdam Ludos celebrarunt.* Vid. Stat. *in Theb.* Ovid. *in Heroid.* Potter. *Archæol. Græca lib.* II. *cap.* 24.

[2] Corſin. loco mox cit. hæc ſubdit:
Eiuſ-

Nec fugit, hyſtoricos hominum Divumque Parenti
Hercule ab invicto ludos voluiſse dicatos,
Quum Nemeæum atra dejecit cæde leonem (1).
Sed quid? Quæcumque inſurgat ſententia; certum eſt,
Sic cecidiſse dehinc, nec pauco tempore, ludos,
Ut vix fama levis patulas pertingeret aures (2).

Part.

Eiuſmodi Regum exemplo, *vel etiam fortaſſe lege*, *funebres Agones ipſi poſteris etiam ætatibus celebrati ſunt : ipſorumq; e Præſides*, *qui olim ex Corintho*, *Argis*, *& Cleonis eligebantur*, *lugubri*, *vel atra veſte ornari*, *victorique corona ex viridi apio contexta concedi conſueverat ; ut ex Apollodoro* (Biblioth. lib. III.) *Pindarique Scholiaſte*. [Argum. in Nemea] *erudimur*, *qui Nemeæorum originem accuratiſſime deſcripſerunt*. Statius autem *Theb. lib.* IV. ita cecinit:

Una tamen tacitas, *ſed juſſu Numinis*, *undas*
Hæc quoque ſecreta nutrit Langia ſub umbra.
Nondum illi raptus dederat lacrymabile nomen
Archemorus, *nec ſama Deæ ; tamen avia ſervat*,
Et nemus, *& fluvium : manet ingens gloria Nympham*
Cum triſtem Hypſipylen ducibus ſudatus Achæis
Ludus, *& atra ſacrum recolit trieteris Ophelten*.

[1] Onuph. Panvin. *de Ludis Circen. lib.* I. *cap.* III. rem totam ſic breviter complectitur: *Secundi ludi Nemea dicebantur*, *quos conſtituiſſe Herculem occiſo Leone volunt*, *qui Nemeam regionem infeſtabat*, *ac Patri Iovi ſacraviſſe*. *Corona ibi apium viride dabatur* χλωρὸν σέλινον, *teſte Pauſania* in Arcad. *quod vocat* βοτάνα λέοντος Pindarus in Nemeis, *a Leone ab Hercule ibi interempto ; etſi alii ſelinum*, *ſive apium dixeris*, *ex Archemori ſanguine natum faciunt*, *quo deinde ſint coronati victores in Archemori funeralibus : nam in honore huius pueri inſtitutum hoc ludicrum in Græcia quibuſdam placet*, *Interpreti præſertim Pind.* in Nem. *& Auctori Lexici magni*. *Secedunt enim in partes in hac re auctores*. *Sed intellige fuiſſe ludos funebres Archemori*, *Iovis celebrationes*. *Pind. Schol.* Pyth. Od. I. *Apium vero huic Agoni ſacrum facit Lutat.* lib. VI. Theb. Quia humilis herba immaturi luctus oſtendit indicium. *Archemorus ſiquidem puer erat*. *De apio* Iuven. *Sat.* VIII. *ver.* 226.

. . . . . . *Graiæque apium meruiſſe coronæ*.

Hæc autem omnia paucioribus exhibet Scaliger mox citatus. En verba: *Certamini præſidebant Corinthii*, *Argivi*, *& Cleonæi*. *Alii non Cleonæos*, *ſed Decelonæos præfuiſſe ſcribunt : atque poſt illos*, *Corinthios*. *Per initia ex olea coronam factam*, *datamque ad Medici belli uſque tempora*. *Deinde oleam cum apio commutatam : quem fruticem infelicem putarent funeribus convenire*. *Idcirco Iudices pullati ſedebant*. *Poſtremo Hercules Nemeo Leone debellato*, *& inſtauravit*, *& correxit*, *Iovique Nemeo dicavit*. His fere ſimilia habet Potterus loco cit. aliique: at in primis legendus Plutarchus, qui Archemori hiſtoriam notatu dignam in *Timoleonte* deſcripſit.

[2] Corſ. *ib. n.* 2. ſic ait. *Verum quæcunque demum hypotheſis in explicanda Nemæorum cauſſa*, *& origine ſeligatur*, *perſpicuum eſt ſane Agonem illum ſive Archemoro*, *ſive Iovi ſacer is fuerit*, *ita excidiſſe*, *ut Solonis ætate*, *ſive Olympiade* XLVI. *neque ſollemni conſtantique ritu peragi*, *neque inter alios Græcorum Ludos haberi videretur*. *Etenim Solon Athenienſibus*, *qui in Olympicis Ludis victoriam adepti forent*, quingentas, *Iſthmionicis vero* centum *drachmas Atticas veluti præmium conſtituit ; nihilque tamen de Nemeonicis*, *vel Nemeæorum victoribus ille decrevit : quod argumento ſane eſſe poterit ipſius ætate Nemeæos Ludos intercidiſſe*.

Part. Quando igitur ludo celeberrima reddita fama eſt,
Aut quando Nemeas numerata eſt ordine prima?
Ad. Grammatici certant, nec vox eſt omnibus una.
Si tamen adſpicies, tum cum Maratonia pugna
Contigerat, curſus hominum, pompamque, decuſque,
Et pugnatores, poſitaſque ex more coronas,
Et ſummo, cujus ſervata eſt Græcia nutu,
Bella dicata Jovi; ludis tum denique certam
Surrexiſse putes ſeriem, quo menſe, vel anno
Hiſtorica auctores ſignarent ordine facta (1).
Nec tibi me bigæ curſum, nec crede quadrigæ,
Aut equitum vires, pulli fremitum, atque caballi,
Aut pugilis cæſtus, gravia aut quinquertia, ſicque
Cetera ſcripturum. Quæ aliis data gloria ludis,
Et laus eſt; eadem Nemeo quoque reddita ludo eſt (2).
Part. At quanti Nemeas dicenda eſt temporis? (*Ad.*) Hæc ſunt
Vel minimi ſcitu. Completis bella duobus
Quum redeant annis; merito *trieterica* dicta eſt:
Ternos nam tangit, ſi non complectitur annos (3).
Part. Sed quonam Nemeas rediebat tempore? (*Ad*) Quum bis

E Tem-

(1) Id clariſſime ex Corſino *ib. num.* 5. deducitur. Etenim *quamvis*, ait, *Nemea, Pythiorum inſtar antiquiſſima fuerint; atque Olympiade* LIII. *proxime nimirum poſt Pythia inſtaurata ſint; Nemeades tamen ipſæ ſequioribus ſolum temporibus, Pindarique ætate numerari cœperunt, ut prima proinde Nemeas numerata poſt Olympiadem* LXV. *collocaridebeat*. Quare concludit: *Hinc ego ſuſpicor Olympiadis* LXXII. *anno* 4. *proxima nimirum Nemeade poſtquam celeberrima Marathonia pugna contigerat, Nemeacos Ludos ſplendidiore pompa, maiorique Græcorum gentium frequentia mirifice celebratos eſſe; adeoque Nemeadem illam veluti Iovi Eleutherio, ſive Græcorum* Liberatori *ſacram, tanquam Nemeadem* primam *numeratam fuiſſe*. &c.

(2) *Quidem falſo negarunt*, ait Scaliger mox cit. *vel curru, vel equo ſingulari celebratos eos Ludos: curru, inquam* δίφρῳ: *nam altero curſus genere, quod appellant* ἅρμα, *non negant: in illo ſella erat, in hoc non erat. Pindarus meminit in* Nemeis *etiam Pancratii, & luctæ, & quinquertii, & ſtadii*, & ἅρματος. &c. Vid. Rheineſ. *Var. Lect.* Meurſ. *Græc. Feriata*, alioſque.

(3) Hoc contra Fabrum, ac Prideauxium cum Dodvello oſtendit Corſinus *loco cit. num.* 16. Ait enim: *Optime id tamen, accurateque Dodvellus, quod, licet Nemeades alterne æſtivas, ac hybernas eſſe demonſtraverit; ipſas tamen a primis uſque temporibus* trietericas *extitiſſe, atque ad extrema uſque tempora, quibus aliorum inſtar abolita, ſive ſublata fuerunt, alternis annis celebrari conſueviſſe, perſpicuis Pindarici Scholiaſtæ* (Nem.IV.) *aliorumque teſtimoniis oſtendit*.

Tempus Olympiadis Nemeas proſpexerit; hinc eſt
Quod Nemeas cecidit migrantibus una ſecundis,
Altera Olympiadis quartis ineuntibus annis:
Illam frigus habet, media hanc eſt occupat æſtas;
Quod præclara probant gravium monimenta virorum (1):
Qui ſecus hæc reputat, ſtudio huic contrarius eſto.
Hinc pudeat Nemeos aliis poſponere ludis.
Namque ut proſpicias quantum his acceſſit honoris,
Sat videas homines, heroas, corpora Regum,
Romanos cives fungentes munere primi
Vel Ducis in bello, Romæ vel Conſulis, extra aut
Prætoris, vel quovis munere; quo petiere
Aut ſtudio, aut animis Argi certamina. Poſſem
Antigonum belli fulmen, Regemque Philippum,
Non belli, aſt auri ſuperantem pondere turres (2);
Poſſem Flaminium, magnum Lacedæmonis urbis
Terrorem, patriæque decus, famamque ſenatus;
Nonnulloſque alios digitis oſtendere (3). Sed quid
Tempus fruſtra teram dictis? Nam plurima ab ovo
De gravitate ducum, pueri de funere Regis,
De varia ludi pugna, de munere tandem
Victoris: Quare verbum non amplius addam.
Part. Eheu quos habuit præclaros Græcia ludos!
Argos quæ campis habuit certamina! An inde
Is taceam, ut rerum tantum ſim auditor? At ægre
Fert animus, ſecum tacitus qui multa volutat.
Quare tanta novo cedant certamina ludo,
Et ſileant, ſileant Argi certamina. Magnus,
Pulcher, & eximius ſatis eſt, quem præbeo, ludus:

Com-

(1) *Ex pluribus certe, melioribuſque Nemeadum exemplis ſatis aperte deprehendiſſe videor, atque oſtendi poſſe putaverim, Nemeades ipſas non* primis, *ac* tertiis, *ſed* ſecundis *potius*, *&* quartis *Olympiadum annis peragi conſueviſſe; ut ineuntibus nimirum* quartis *æſtivæ Nemeades agerentur, hybernæ vero in* ſecundos *fere exeuntes inciderent*, ait Corſin. *num.* 4. Qui *num. ult.* ſic utramque rem complectitur: *Id unum mihi perſpicuis, opinor, certiſque characteribus oſtendiſſe ſufficiat, Nemeades ipſas nunquam* annuas, *ſed* trietericas *ſemper fuiſſe; atque alternis annis ita peragi conſueviſſe, ut* hybernæ *quidem in medios* ſecundos, æſtivæ *vero in* quartos *ineuntes Olympiadum annos inciderint.*

[2] Vid. Horat. *lib.* III. *Od.* 16.

(3) Huiuſmodi Heroas Nemeis Ludis præfuiſſe conſtat ex Plutarch. *in Philopœm.* Liv. *lib.* XXVII. XXXIII. *&* XXXIV. Corſin. *ib. num.* 4. aliiſque.

Communis civi, pueris, cunctiſque puellis,
Mendicis, dominis nimio pollentibus auro,
Matronis, ac patriciis gravitate ſupina;
Immo ac ordinibus doctum redolentibus alpha.
Κλήρωσις Græca, Latia *Sortitio* lingua (1)
Dicitur. Is caſus, dubius vel ſortis acerbæ
Eſt labor, ex toto numeros qui ſeligit aſſe
Quinque; etſi novies bis quinque amplectitur orbem.
Audi quanta novo hoc ludo celeberrima ſurgant,
Quanta nec inferiis Simon Magus ipſe peregit (2)
Spiritibus, tendens ſublimis corpore ad auras;
Quanta nec adſpexit fervens Apuleius unquam (3).
An dubitas? Eſto: non multum fabula longa eſt.
Expectata dies, numeros quo jam puer urna
Extrahat, ad civis quum vix pervenerit aures;
Primum ſcripta rapit, numeris ſolventia rerum
Somnia (4): tum paucis expenſis aſſibus, illa,
Quæ innuptas monſtrant jungendas ſorte maritis (5).
Nomina & hinc volvit, numeris conjungit, & aptat;
Inde aliis numeris addit prænomina: quærit
Virginis ætatem, quæ mater, quo patre nata;
Quali ſit facie, ſura, pede, dente, capillo;
Quæ domus, & quæ ſit ſpecies: nil denique linquit,
Quo paupertatem poſſit depellere iniquam.
Accipe nunc homines capiant qua ſorte futurum.
En vetula exhauſto decumbens obruta Baccho,
Tanquam Phœbeo premeretur pectus ab æſtro,

(1) Ludus hic *Sortitionis*, ſive, ut vulgo dicitur, *Giuoco del Lotto*, Genuæ inventus, Mediolanum deinde, Venetias, Neapolim, Florentiam, Romam, aliaſque Europæ civitates ſubito invaſit. Spe lucri omnes impellit, inceditque mortalium animos, qui ſenſim & Principibus vectigal ſolvunt ampliſſimum, & bonis ſuis libentiſſime fruſtrantur.

(2) De *Simone Mago* conſule Hiſtoricos Eccleſiaſt. qui varii varia dicunt.

(3) *Lucius Apuleius* Medaurenſis, qui plurimis libris eleganter ſcriptis inclaruit temporibus Antoninorum.

(4) Libereulus quidem Neapoli editur (*libro delle ſmorfie*) in quo variis Arithmeticæ numeris nomina rerum, quæ ſomniari poſſunt, notantur: ita ut invento nomine rei ſomniatæ, eadem linea unus, aut plures numeri inveniuntur, qui ab ineptis hominibus, tanquam fortunati ſeliguntur.

(5) Editur etiam & chartula, in qua prænomina, & nomina 90. virginum puellarum, pro quolibet ſcilicet ludi numero, ſingula deſcribuntur. Illæ enim tantum virgines ære pub. nubent, quæ in quinque numeris ab urna extractis notantur.

Electos capiti numeros ſupponit, & inſtans
Somnia perpendit, quæ dat ſibi Morpheus. Hinc ſi
Forte cubans, auratas veſtes, prandia, currus,
Argenti lances, Phrygio de marmore tecta,
Et famulos, & ſervas, auratumque lacunar
Somniat; ad galli cantum cito ſurgit, amicas
Conſulit, ingentis tauri ceu conſulat exta,
Aut veluti Calchas (1) dictis oracula ſolvat.
Inde ait: heu nuſquam viduam me Trulla marito
Spernet, vel tecto, aut cœna, vel veſte carentem,
Trulla, cui immundis fœtet manus uncta popinis;
Quum me compoſitis peregrina crinibus arte
Viderit, ornatam ſinuoſis veſtibus, atque
Curru per medios calles conducier urbis:
Seque putat demens ſperata hac ſorte beatam.
Poſt hanc en juvenis vario petit ordine fata:
Illius e tacito nam promens oſſa ſepulcro,
Qui furcis laqueo ſuſpenſus reddidit auras,
Plurima ſcrutatur, ceu ſint certa abdita furcis (2).
Adſpicit hic flammam; ceu fumum mittit ad auras;
Ut crepitet; calidæ fugiant qua parte favillæ.
Gallinam hæc cernit; quæ vox, quo concinat ore;
An lento, aut avido depaſcat gutture fruges;
Anne ſiniſtrorſum, dum dormit, colla revolvat.
Nec deſunt homines omni ratione carentes,
Qui ducis Hebræi veteres a vertice ad imum
Scrutantur chartas, & miſcent ſacra profanis (3).

At-

(1) *Calchas* nomen Græci Auguris, qui cum Græcis ad expeditionem Troiæ profectus eſt, cuius conſilio, quoniam divinandi arte plurimum præſtabat, multa geſta ſunt. A Mopſo tandem præſtantiſſimo Augure artis peritia ſuperatus, dolore contabuit.

(2) Bardi, fungique homines in numeris lucri gratia ſeligendis nonnullas adhibent divinandi rationes, quibus Romani veteres utebantur: nonnullas autem ipſi indigna etiam ſuperſtitione reſperſas inveniunt, promulgantque: Quo quid turpius, quid ineptius, quid ſceleſtius diei poteſt, aut excogitari? De illis Iuven. *Satyr.* VI. *ver.* 550. *&* *ſeqq.*

Pectora pullorum rimabitur, exta catelli,
Interdum & pueri: faciet quod deferat ipſe.
Chaldæis ſed major erit fiducia: Quidquid
Dixerit Aſtrologus, credent a fonte relatum
Ammonis: quoniam Delphis oracula ceſſant,
Et genus humanum damnat caligo futuri. &c.

(3) Sacrarum etiam Scripturarum voces, & facta, neſcio qua dementia, ſceleſti homines perſcrutantur.

Attamen hoc ſtudium haud menti commune virili eſt,
Immo vel minimi reputes ſit cura popelli (1).
En modo doctorum ſtudia, aut qui jurgia civis
Solvunt (ſæpe ligant), juris queis corpora prodeſt
Nocturna verſare manu, verſare diurna,
Et Romanorum ſanctas perpendere leges:
Aut qui res ſcriptas Hippocratis, atque Galeni
Diſcunt, ut nunquam fugiat ſententia verbis;
Et baculo nixi, ſputantes ore rotundo,
Et *recipe*, ajentes, *panaceam Mercurialem*,
Tres drachmas jalapæ, *dextantem lactis*, *& alvo*
Fœmentum malvæ; ſic miſcent plurima, ut inde
Ægroto haud unquam properantia fata repellant,
Immo ipſum ad Stygias iteratis ictibus urgent:
Aut qui apti ſtudiis cathedræ de munere vivunt;
Aut lato tecti pileo cum veſte nigranti;
Aut illi, tandem libri quos copia, non mens
Seligit ex populo; hi omnes diſcrimine magno
Depromunt numeros. Clauſis nam poſtibus aulæ,
Ultima corripiunt tecti penetralia. Poſthac
Abductis ſcriptis, & qui tot ſcrinia complent
Libris detectis, calamo chartaque parata,
Ceu tuta numeros capiunt ſibi ſorte futuros (2).
Sed quæ dura viris accedunt prælia captu,
Et quæ opere in tanto dantur faſtidia! Parte
Hac læva ellipſis, dextra ſit circulus illa;
Hinc orbem centrumque ſecat, vel linea tangit;
Dein ternus medio deſcribitur angulus orbe:

De-

[1] Quæ uſque adhuc egimus ad ignaros homines pertinebant. Modo de doctis erudiriſque hominibus agetur, qui longe aliter ludi numeros ſortiuntur, ac futurum divinant.

[2] Vetuſtiſſimus mos eſt, futura per numeros divinare. Quare Horat. *lib.* I. *Od.* XI. *ver.* 2.

. . . . . . *Nec Babylonicos*
Tentaris numeros, ut melius quidquid erit pati
. . . . . . *Sapias.*

Et Cicer. *de Divin. Contemnamus Babylonios, qui e Caucaſo ſigna Cœli ſervantes, numeris, & motibus Stellarum curſus perſequuntur.* Quadere S. Auguſt. *de Civit. Dei*, Mathematicos eiuſmodi homines contemnit, quos Tacitus lib. XVII. appellat *genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax.* Vid. Cicer. I. & II. *de Divin.* Item *de Fato*. Item III. *de Nat. Deor.* A. Gell. *lib.* XIV. *cap.* 1. ubi refutat eos, qui curioſius auſcultant Genethliacis, futura dicturos per artes prodigioſas ſpondentibus.

Denique tanta ſimul miſcent quadrata rotundis,
Quanta nec Epheſius gemitus deſcripſit amator (1),
Atque Syracuſis Patriæ defenſor inermis (2).
Nec ſit qui ſibilet, mittat ſuſpiria. Quid ſi
„Janua frangatur, latret canis, undique magno
„Pulſa domus ſtrepitu reſonet„? Qui es, protinus, heus tu,
Fœnum habet in cornu, longe fuge. Sed tamen inde
Poſtquam multa tulit, multum ſudavit, & alſit,
Si e tantis unquam numerorum turribus unus
Exeat, aut alter, videatur qui ſibi certus;
Et fremit, & ridet, cunctos appellat amicos,
Et pede pulſat humum, ceu ſit victoria certa.
  Sed ludi en tandem fulgens aurora reſurgit.
Quiſque vel exiguis ſpoliat quadrantibus arcam,
Emungit loculos, ſi non habet, omnia vendit,
Pauperat & tunica natos, & cruſtulo omaſum [3].
Lætitia, atque metu, ſed ſpe magis excitus, ex quo
Omina dulcis avis cecinit de vertice dextra;
Maxima poſcit hians læti ſpectacula ludi.
Quæ gens! qui populus! murmur quod fertur ad auras!
Quiſque ſuos mandit numeros; numerique capaci
Subſultant motu, motique agitantur in urna.
Carpe, puer, clamant, digitis heu carpe tenellis
Jam numeros: quid ſtas? puer o, tu ſerto ſecundos:
Ore favete: intus manus: extrahit: o bone: jam ſors....
Sed quid? Proh infelix! immo vera cruce dignus!
Oppoſiti mota numeri capiuntur ab urna;

Or-

[1] *Heraclites*, ſcilicet, Philoſophus, qui quoties domo egrediebatur, flebat; ſicut Democritus ridebat: quod alteri omnia, quæ agimus miſeriæ, alteri ineptiæ viderentur.

[2] *Archimedes*, nimirum, Vir Syracuſauus, admirando, ac prope divino ingenio, quo nemo unquam præſtantior fuit in Geometria, in Arithmetica, in Aſtronomia, in Machinali arte, in omnibus Mathematicis diſciplinis, qui decem annos Syracuſas ſuis machinis ab hoſtibus defendit. Sed capta urbe, etſi Marcellus interdixerat, ne unus Archimedes interficeretur; a milite tamen ignaro, quis eſſet, interfectus eſt, quum in pulvere quædam deſcribens attentius, urbem eſſe captam, non ſentiret. Vid. Cicer. *pro Cluent.* II. *Acad.* I. *Tuſc.* II. *de Nat. Deor.* V. *Fin.* & iterum *Tuſc.* V.

[3] Quæ maior dementia, aut potius inhumanitas, quam ut a parentibus, ad hunc ludum conficiendum innocentes pueri victu, ceteriſque neceſſariis priventur?

Ordine & oppoſito turbantur pectora. Cæca
Mens, fervens animus, ſiccum jecur excitat iras;
Et caput inde ſcabit, vivos corrodit & ungues [1].
Hinc heu! exclamat demens quadrata rotundis
Miſcens, heu ſemper virtus mihi certa, feſellit!
Me quoque decepit, clamat, qui ſacra profanis
Miſcuit, Hebræum male ductum ab origine nomen.
Littera me, numeri ſcrutator: ſomnia ſed me,
Addit anus: dominus, vernæ me perfidus error.
Et caput, & palmas, iteratis pectora pulſant
Ictibus, atque fremunt, & torquent viſcera bili.
Ad. Barbara quis poſthac Græcorum ludrica dicet?
Quis putat amentes proprio certamine Græcos?
Part. Danda eſt hellebori potius pars maxima noſtris,
Quod bona dilapidant, pubis quod turpiter omnes
Corrumpunt mores, quod miſcent faſque nefaſque;
Neſcio an anticyram ratio iſtis deſtinet omnem [2].
Nec ſit quo famulus domino tria verba ſevero
Incautus referat: cornu ferit ille, caveto.
Nec puer occurrat ſueto de more parenti,
Neve manus capiat, figat queis grata labellis
Oſcula purpureis: cornu ferit ille, caveto.
Filia nec matri, & dominæ nec ſerva ſuperbæ
Obſtet, ſeu repetat: cornu ferit illa, caveto.
Hinc ſunt, queis artus depaſcitur arida febris;
Spe lapſa, oſſa quatit tremor, infauſtique caducum
Sinciput afficiunt ſubita vertigine nunc [3].
Hinc odia, hinc iræ, hinc civis fera jurgia ſurgunt:
Hinc hominum lacrymæ, mœſtæ hinc ſuſpiria gentis.
Nam dominus clamat: periit mihi numus. Et inde

Con-

[1] Bis igitur in hoc ludo homines animis agitantur; ſpe primum atque lætitia, in numeris, ſcilicet, divinandis; & triſtitia atque dolore, poſtquam oppoſitos ſibi detectos intellexerint. Vid. *Cicer. ad Familiar. lib.* VI. *epiſt.* 4.

[2] *Anticyra* inſula eſt ſinus Maliaci, contra Oetam. M. inqua helleborus contra amentiam naſcitur. Hinc navigare Anticyram eos iubet *Horat. lib.* II. *Sat.* II. *ver.* 166. qui parum ſanæ mentis ſunt. Adde *ver.* 82. & *de Arte Poet. ver.* 300.

[3] Non lætitia tantum, ſed dolore etiam repentino homines vehementiſſime compulſos aliquando in febrim, aliquando in apoplexiam, aliquando etiam ad interitum redigi poſſe, experientia docemur.

Conclamat famulus: periit ſpes una. Puella:
Cum ſpe, cum numis periit mihi denique fama.
Ad. Heu capita inſulſa! Ecqui vobis ſpiritus ingens
Extulit arrectas, & iniqua ſuperbia criſtas?
Proxima ſtultitiæ eſt hominum ſapientia, ſoli
Quæ ſatis una ſibi eſt, & nomine gaudet inani!

SER-

SERMO QUINTUS.

Agonis Iſthmici origo, Inventor, locus, præmia, Iſthmiadumque tempora exponuntur. Ludo hoc maximam ſibi laudem Græci omnes vindicarunt. Non minor tamen Agonis gloria cives hos noſtros invaſit, qui ſtrenua Athletarum certamina cum feminarum choreis ac epulis permutantes, noctu Pauſilypi tabernas aggrediuntur.

Ultima ſunt hæc Græcorum certamina; ſed ſic,
Quatuor ut primos inter ſint ultima ludos (1),
Sintque alios inter merito certamina prima,
Singula quæ vobis hic deſcribenda quotannis
Diximus, ad quartum donec deſcenderet ordo.
Adſumus. An fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ,
Pauca ut de celebri fundam certamine? Simque
Tam verbis parcus, qualis, qui neſcius uti
Compoſitis, metuenſque velut contingere ſacrum?
Dicam ergo ut poſſum: ludos a vertice ad imum
Deſcribam, extollam vocem, mea brachia jactem:
Motu ſique gravi venter dein eſurit; ingens
Dignior accedet ſtomacho ſultura ruenti.
Rex Athamas quondam crudeli percitus ira (2),

[1] Præter quatuor celeberrima ſpectacula, *Olympicum* ſcil. *Pythium*, *Nemeacum*, & *Iſthmicum*, innumera quidem alia apud diverſas Græciæ civitates feſta fuere; quæ omnia ordine alphabetico ſcripſit, atque dilucidavit Ioannes Potter. *Archæol. Græca* lib.II. per totum cap. XX. quem vide.

[2] Corſin. *Diſert.* IV. *Agoniſt. num.* 1. ludos hoſce ſic breviſſime explicavit: *Quum Athamas Siſyphi Corinthiorum Regis frater Learchum filium furore percitus occidiſſet, Ino Athamantis uxor dolore correpta una cum Melicerta filio in mare ſe præcipitem dedit. Melicertæ corpus ad Corinthiacum Iſthmum a Delphino delatum, atque a Siſypho tumulatum fuit. Tunc Melicerta ſub* Palæmonis *nomine inter Dæmonas, aut Genios, atque Ino ſub* Leucotheæ *appellatione inter Nereidas haberi cœpit: ac utrique, Nereidum juſſu, funebris Agon ille inſtitutus fuit; qui, quum in ipſo Corinthi Iſthmo perageretur*, Iſthmiacus *eſt appellatus*. Vid. Schol. Pind. in Argum. Iſthm. & Pauſan. Attic. in fine, & Corinth. c. 1.

Et jecore ardenti furiis, ceu triſtis Oreſtes,
Neſcio ſi pedibus, conjux ceu experta Neronem,
Aut ferro, Abſyrtum veluti Medea ſecavit (1);
Certa equidem natum confecit morte Learchum.
Aſt Ino interea conjux Athamantis, eadem
Pro nati interitu crudeli percita bile,
(Mitis Hypermnæſtræ fugiens imitarier acta (2),
Splendida quum mendax ſponſo male juſſa pepercit;
Aſt Danai demens natarum imitata furorem)
Tanquam peccati amentis foret ulta mariti,
In mare præcipitem ſeſe projecit, & una
(Proh caput inſulſum !) natum pariter Melicertam,
Quem puerum amplexu tenuit, projecit in undas.
Hæc num Medeam, an furiis imitata Megeram eſt?
Quo cupis appella furiarum nomine. Namque
Nil non infandum ſortitur femina probrum.
Aſt Melicerta puer tranſvectus gurgite; ſive,
Ut res narratur, magno delatus ab ore
Delphini ingentis; portum bimaremque Corinthum
Exanimis tetigit, refluitque immerſus ad Iſthmum (3).
Siſyphus interea tantæ Rex integer Urbis,

Mi-

[1] *De Nerone* coniugis interſectore vide Sveton. *De Medea* autem Cicer. *pro Leg. Manil. num.* 9.

[2] *Hypermnæſtre*, una ex quinquaginta Danai filiis, quæ, ſororibus ſuis prima nuptiarum nocte maritos ſuos occidentibus, una Lino ſponſo ſuo pepercit. Quare Horat. *Od. XI. lib.* III. *ad Mercur.* ait:

. . . . . . Stetit urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Et paullo poſt de Hypermnæſtra.

Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, & in omne virgo
Nobilis ævum:
Surge, quæ dixit juveni marito,
Surge, ne longus tibi ſomnus, unde
Nil times, detur: ſocerum, & ſceleſtas
Falle ſorores.

[3] Cæſar autem Scalig. *cap.* XXII. *de Comœdia*, & *Tragædia* rem paullo aliter deſcribit: ait enim: *Ino, & Athamas duos liberos habuere, Learchum, ac Melicertam. Learchum Athamas Iunonis opera in furorem actus interfecit. Quem eadem auctore, pari morbo affecta Mater in lebetem ferventis aquæ plenum immerſit. Tum atroci exemplo monitus Melicerta, cum per Geranæam Megaræ montem regionis aufugiens ad rupem, quæ Moluris dicebatur, perveniſſet, de ea ſeſe in mare præcipitem dedit: Quem ſequuta Mater ſimili fato perfuncta eſt. Alii tradunt Matrem, ſurrepto ex illo periculo Melicerta, cum eo ſeſe præcipitaſſe. Exceptos Nereides Matrem facere Divam, Leucotheam Græci, Latini Matutam vocant. Melicertam Divum, Palæmonem illi, nos Portumnum. Eædem Nereides Siſyphum monuere, ut in honorem Melicertæ ludi ſtatuerentur.*

Milite ſat pollens, gaziſque, Athamantis & ipſe
Frater, quum proprii noviſſet membra nepotis;
Protinus, ut par tum fuerat, tumulanda ſepulcro
Funere regali juſſit. Tum Numina facti
Et puer, & mater ſunt. Nam Melicerta, *Palæmon*;
Ino *Leucothea* communi nomine dicta eſt:
Ille inter Genios, inter Nereidas iſta (1)
Sedem habuit: nigro melius ſediſſet in orco!
  Nec ſatis hæc. Hominum quod vix credibile menti eſt,
Nereadum juſſu poſthac certamina utrique
Sunt conceſſa ſimul, veteri quæ nomine ab Iſthmo,
Cunctorum verbis merito ſunt Iſthmia dicta:
Quæ niſi feciſſet, nimia tabeſceret Iſthmus,
Totaque deficeret letali peſte Corinthus (2).
Quin ne per latas poſthac contagia morbi
Reptarent terras ſpiſſo cum funere; diva
Perpetuos puero voluere oracula honores,
Feſtaque, quæ certis peterentur ludicra in annis.
Attamen iſta brevi ceciderunt prælia (3). Quare,

 Sini-

(1) Ut autem huiuſmodi ludis nihil deficiat, Onuphrii Panvinii auctoritatem referam, qui *cap.* III. *lib.* 1. *de Ludis Circenſ.* ita rem totam amplectitur: *In Iſthmo habebatur certamen Melicertæ funeribus ſacrum, ſollemnitates Neptuni erant, eas Neptuno Theſeus inſtituit.* *Plutarch.* in ipſo. *Plin.* Gymnicos in Arcadia Lycaon, funebres Acaſtus in Iolco, poſt eum Theſeus in Iſthmo. *De Melicerta, ſive Palæmone*, *Clem. Alex.* ad Gentes. *Pauſ.* in Atticis: τιμαὶ τῷ Μελικέρτῃ διδοντας μετονομασθέντι Παλαίμονι. *Lutat.* ad Stat. lib. VI. Iſthmia, quæ in honorem Neptuni aguntur, finguntur Melicertia. *Et hæc ad templum Neptuni*, *Pauſ. & Strab. teſtibus*, *& Schol. Pind.* Ode XVI. *Locus petroſus petra vocabatur ab aſpero ſaxo, unde Petræus Neptunus.* *Schol.* Apoll. *lib.* III. *Phranzes* Chron. lib. 1. *qui examilium Iſthmum dici aſſeverat: huius certaminis corona, apium aridum, ut Ode* II. *Pind. Schol. teſtatur:* σύμβολον Νεμέων σέλινον χλωρὸν, ἰσθμίων ξηρὸν: *at e pinu olim, poſtea ex apis data corona, ibidem idem Schol. ac ille* Apoll. *lib.* III. ἐν ἀγῶνι τῷ ἰσθμικῷ οἱ νικῶντες ποτὲ ἐστέφον τὸ πάλαι, ὕστερον δὲ ξηρῷ σελίνῳ. *At Apollonius duos fieri ibi Agones velle videtur, in honorem Neptuni unum, alterum Melicertæ.* &c.

(2) Potter. *Lib.* II. *cap.* XXV. *Archæol. Græc.* hæc ſubdit: *Alii tradunt Melicertæ cadaver in Iſthmum ejectum fuiſſe, ibi aliquandiu inſepultum iacuiſſe, unde dira lues in haſce regiones deſævire cœpit, ad quam depellendam nullum aliud remedium dari oraculo editum eſt, quam ut ſolitis ſollemnibus ritibus cadaver ſepeliretur, ludique in memoriam pueri celebrarentur; quo mandato peracto aeris intemperies ceſſavit: verum poſtea hiſce ludis neglectis, peſtis rurſum graſſata eſt, oraculoque conſulto, reſponſum acceperunt, honores perpetuos Melicertæ perſolvendos eſſe, quod ex præſcripto fecerunt, erecta ei ara, ac lege lata, qua ludi iſti in perpetuum ederentur.*

[3] Corſin. ib. *Deinde vero, quum Sinis*

Sinide mactato, qui jam Neptunia proles,
E ludo furtis, ac vi dejecit Achivos,
Iſthmiacos rurſum Theſeus celebravit agones,
Hoſque maris Divo ſollemni more dicavit,
Conceſſitque ſuis victoribus, utpote digna
Præmia magnanimis, ex pino apiove coronam (1):
Una etenim priſcas urgebat gloria gentes.
Ni dicas Theſeum hos primum poſuiſſe: vel altera
Inſurgat potius mentis ſententia, ludos
Hos duplices bimari ſemper micuiſſe Corintho,
Et varios variis, hominique, Deoque dicatos (2).
  Quis ſero hos autem, completo denique luſtro,
Aut citius reputat ludos rediiſſe quotannis (3)?

Non

nis Neptuni filius, ac latrones alii confluentibus ad ludos Græcis infeſti forent. ipſorum celebritas aliquandiu intermiſſa fuit; donec Theſeus, ſublata Sinide, veteres ludos ipſos inſtauravit, ipſoſque non Ino, ac Melicertæ, ſed Neptuno potius Oceani, bimariſque Corinthi præſidi dedicavit. Vid. Schol. Pind. Argum. II.

[1] *Victores* ait Potter. mox allatus, *corollas ex frondibus pineis pro præmio accipiebant; deinceps ipſis datum apium, quo etiam decorabantur, qui victoriam in Nemeis ludis tulerant, cum hac tamen differentia, quod hic eſſet recens ac viride, in Iſthmicis ludis aridum flaccidumque. Poſtea in deſuetudinem venit apium, rurſuſque pinus in honore ac pretio fuit; quas mutationes memoriæ prodidit Plutarchus* V. Sympoſiac. Et Scalig.ſupra cit. *Pinu autem Iſthmionicas fuiſſe narrant coronatos; propterea quod Melicertæ cadaver pineis obvolutum ſurculis inventum eſt. Alii dicunt Neptuno ſacram pinum: unde Phytalmii cognomen attributum autumant idcirco, quia pinus, picea, abies maritimæ rei plurimum conveniant. Timæus ſcriptum reliquit: apio antea coronari ſolitos victores: idque Corinthiorum iudicio. Eadem Hiſtoriæ ratio ex Proclo, Callimacho, Euphorione.*

[2] Potter. mox cit. *Nonnulli*, ait, *in laudem Neptuni a Theſeo inſtitutos fuiſſe referunt, alii fuiſſe duo diverſa ſollemnia opinantur, in Iſthmo celebrata, alterum Melicertæ, Neptuno alterum, quæ ſententia nititur auctoritate Muſæi, qui* tractatum de Iſthmicis ludis *conſcripſit. Hoſce ludos in honorem Neptuni prius inductos, poſteaque in Palæmonis memoriam editos fuiſſe narrat Phavorinus. Contra Plutarchus docet, primum inſtitutos in Melicertæ gloriam; ſed deinceps a Theſeo immutatos, ampliatos, ac Neptuno dicatos fuiſſe; plureſque alias opiniones de eorum origine affert* in vita Theſei, quem adeas, Lector, obſecro. Iure igitur meritoque Corſin. mox laudatus, inquit: *Verum an Iſthmiaci ludi a Theſeo non inſtaurati ſolum, ſed inſtituti etiam fuerint, an Melicertæ prius, aut Neptuno ſacri eſſe cœperint, definiri vix poterit: quum ipſa quoque Plutarchi ætate maxima opinionum varietas haberetur, quas diligens Scriptor ille ſincere accurateque complectitur.* Vid. Schol. Apollon. lib. III. Pindar. *Iſthm.* I.II. Xenophon. *Hellen.* lib. IV. Auſon. in *Eclog.* &c.

[3] Potter. ib. *Iſti ludi* [*iuxta Alexandrum ab Alexandro* Genial.Dier. lib. V. cap. VIII.] *quovis quinto anno, vel ut quidem exiſtimant, tertio obſervabantur, habitique adeo ſacri intemerandi, ut, poſtquam aliquantiſper interrupti fuerunt durante tyrannide Cypſeli Regis Corinthi, mortuo tyranno Corinthii illis inſtaurandis omnem operam navarint, eoſ-*

que

Non hæc carminibus naſcentes Pindarus unquam
Edocuit pueros, tum cum *trieterica*, terno,
Scilicet, hæc dixit redientia prælia in anno (1).
Nam ſi proſpicies varii certamina ludi;
Gens, quæ longinquis illuc profluxit ab oris,
Nunc *Athletarum* ſtudiis, nunc arſit *equorum*,
Nunc *pullo*, & *bigis*, nunc eſt gaviſa *quadrigis*:
Quin eboris forſan *ſtatuas*, aut æris amavit,
Signaque ſculpta Deum. Nam aliis gens provida ludis
Suſpendit picta vultum, mentemque tabella.
Cetera quid dicam? Nemeos hæc prælia ludos
Quum ſpecie nimium, factoque imitentur; eaſdem
Pugnandi leges jactarunt forſit, & auſus (2).
At non lege caret, propriis non auſibus ætas
Hæc noſtra, antiquorum ut vincat tempora. Nam ſi
Quis veteres ita miratur, laudatque labores,
„ Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat.
Et fruſtra patres clament, periiſſe pudorem,
Si dicam veteres parere minoribus. Hujus
Exitus eripiat nos inter jurgia facti.
Quæ non exercet media certamina in urbe
Et calido, & gelido, & nocturno tempore pubes?
Annuus exactis, ut mos eſt, menſibus orbis,
Tot vix enumerat ſoles, quot prælia ponit
Inclyta Parthenope feſtis certanda diebus (3).
At nos deficeret tempus, ſi ſingula vellem
Tangere, non dicam verbis extollere. Quare
Unica de tantis mihi ſint delecta, videntur

Quæ

---

que celebrarint tanto ſplendore, ac magnificentia, quanta nunquam antea factitarunt. &c.

(1) Vid. Corſ. *ib. num.* 9. ubi oſtendit Iſthmiades *trieterica*s ſemper fuiſſe, idque contra Dodvellum firmiſſimis comprobat argumentis, & *num.* 3. ubi Iſthmiades *primis*, ac *tertiis* Olympiadum annis redire, vel celebrari conſueviſſe cum Scaligero, Petavio, ac Dodvello aſſerit; eaſque in duodecimam Hecatombæonis (*Iulii*) Attici diem incidiſſe præclare Dodvelli coniectura confirmat.

[2] *Id. ib. num.* 4. certiori argumento demonſtrat, Iſthmiacos ludos eadem ipſa, qua Nemeaci, adeoque duodecima Corintbii Panemi, vel Hecatombæonis Attici die celebrari. Hinc Scaligeri ſententiam de Nemeaco, ac Olympico Macedonum menſe, ac Nemeadum die acriter impugnat.

[3] Vid. Troil. hiſtor. Regni, & Urbis Neapol.

Quæ ſimilare magis Græcorum prælia, quæque
Miſta ſimul pubes nocturno tempore juxta
Exercet pelagus, medioque in litore, quod vos
Pauſilypum, ut Patres, dixiſtis nomine (1). Sed quid?
Num mens me fallit? Valida hæc certamina, pluſquam
Prælia Græcorum, num non ſunt jure vocanda?
Eſto: ſum paucus. Quum vix calefecerit æſtas
Tectorum lapides, hominum calefacta cerebra
Illico bella parant, citiuſque ad bella feruntur.
Nec Græcis cedunt pugnandi jure, modoque.
Namque prius planum quam decurratur ad Iſthmum,
Athletæ pariter ficto certamine in armis
Se exercent variis: fingunt committere cæſtu
Bellum: ſe pugiles urgent, manibuſque laceſſunt:
Inſtant, & currunt: tellus percuſsa caleſcit;
Et furor, & plauſus ſublimes percutit auras (2).
  Parthenopeja ſimul vario certamine pubes,
Ante locum pugnæ quam currat, jure, modoque
Se exercet. Magni nam vix ſententia belli
Dicta eſt per ſaturam (3), quum campum læta recurrit
Ante domum Regis; quintili ubi menſe per umbras,
Suſpenſis circum variis hinc inde lucernis,
Multa foro in lato venduntur ſerica, multa
Auro, ac argento, nitidiſque exacta metallis,

Et

[1] Pauſilypum, teſte Plinio, lib. IX. cap. 53. Villa eſt Campaniæ prope Neapolim, ita dicta ab amœnitate, ſcilicet, ἀπὸ παύσεως τῆς λύπης a curæ mœroriſque ceſſatione. Incredibilis illuc, nocturno præſertim tempore, aut cœnandi, aut choreas agendi cauſſa fit concurſus. Quare tum villis, cum tabernis undique locus frequentiſſimis ſcatet.

[2] Præparatoria certamina fieri ſolitum, Phavorini auctoritate demonſtravit Potter. loco cit. *cap.* XXII. Primum enim levioribus, deinde gravioribus pugnis exercebantur Athletæ. Quare concludit: *Nemini, niſi prius hoc debito more ſe ſtitiſſet, de palma contendere licebat: nec ſolita præmia ferebant, qui quocunque modo in certamina ſe intruderant, licet adverſarios deviciſſent.*

[3] Apud Salluſt. *de Bello Iurgut. num.* 29. verba illa: *quaſi per Saturam ſententiis exquiſitis*, ita Caſtilioneus, aliique interpretantur, ideſt: *nullo ordine in ſententiis exquirendis ſervato, nec ut ſeniores prius ſententiam rogarentur: ſed ut Conſuli ipſi libuiſſet: Quomodo aiunt Iuſtinianum in Præfatione Digeſtorum loquutum eſſe. Sparſum enim, & quaſi per Saturam collectum opus dixit. Nam variarum rerum mixturam ſparſim, & nullo ordine congeſtarum* Saturam *veteres appellabant.* Vid. Sex. Pompei. Eraſmum, Feſtum. Diomed. Grammat. lib. III. ad hæc Salluſtii verba, ceteroſque.

Et merces aliæ paci, armis, ſenſibus aptæ (1).
  Quin magis hic pubis pugnantis gloria creſcit.
Nam quis de Græcis commiſit prælia? Miles
Jam ſuetus bello, juvenes, & maſcula pubes:
Hic tamen & mulier pugnat, pugnantque puellæ.
Nec ſecum pugnant: nam quæ tam gloria fertur
Æquales inter pugnas? Sed more laceſsunt
Et bellatores validos, & fortia pubis
Corpora, quoſque homines membris, ac viribus aptos.
Veſtibus hinc albis, pictiſque induta puella;
Jam celer arma parat, pedibuſque innixa, oculiſque,
Interdum manibus, pugnæ dat ſigna futuræ,
Seque foro exercet, donec nox atra recurrens
Confecit medium tenebroſo vertice curſum.
  Sed jam tempus adeſt, cuncta en imitantur ad arma.
Ergo nos ſimul optatum curramus ad Iſthmum.
Hic non eſt Iſthmus plani bimariſve Corinthi;
Aſt Iſthmus, pelagus qui parte hac cernit, & illa
Perſpicit inſignes colles, qui grata tuentur
Litora Cumarum tepidas cernentia Bajas (2).
  En igitur celeris diſtentus campus agonis:
En equites, curruſque ſimul, pediteſque, duceſque,
Et matronarum cunctis veneranda caterva,
Et veneranda magis, junctiſque ferenda lacertis,
Turba puellarum. Belli jam ſigna canuntur:

Jam-

[1] Nocturnæ quotannis prope Palatium Regium nundinæ habentur, vulgo [*Fiera di Palazzo*] ad quas, incredibile dictu eſt, quot quantæque nobilium puellarum ac matronarum catervæ accedant; ut inde ad chóreas epulaſque Pauſilypenſes non mediocri equitum patriciorumque frequentia, ac vario muſicorum genere proficiſcantur.

[2] Pauſilypi deſcriptio: ex quo loco Cumæ, Baiæque, oppida prope Puteolos in Campaniæ litorale ſita, pene conſpiciuntur. *Baiæ* locus celebris amœno ſitu, & aquis calidis tum ad voluptatem, tum ad morbos ſanandos accomodatiſſimis. Dictæ ſunt a *Baio*, uno ex ſociis Uliſſis, ut docet *Serv. ad* III. *Æneid. ver.* 441. Magna eo Romanorum frequentia confluebat valetudinis, & amœnitatis cauſſa: unde paullatim ſedes luxuriæ, & vitiorum diverſorium factæ ſunt. Vid. Senec. *Ep.* LI. Horat. *lib.* II. *Satyr.* 4. *ver.* 32. Plin. *lib.* II. *cap.* 103. *Cumæ* autem non longe ab antro Sibyllæ Cumanæ, conditæ a Pop. Chalcidis urb. Eubœæ Inſ. Dictæ fuerunt a *Cuma* urbe Eolidis, vel a κῦμα, *unde*, vel a κύημα, *fœtus*, quod coloni illi apud Baias mulierem gravidam viderint, & fœcunditatis augurium interpretantes in ea regione urbem condiderint. Vid. Virgil. III. *Æneid. ver.* 441. & *Ecl.* IV. Lucan. *lib.* V. *ver.* 183. Senec. Ep. LI. Cic. *pro Cæl. c.* 26. Tib. *lib.* III. *el.* 5. *v.* 3. &c.

Digitized by Google

Jamque ſtrepunt litui, jam rauco cornua cantu:
Atque lyræ ſonitus, citharæque, immixtaque pleſtri
Murmura, deſeſsos animos, & pectora mulcent.
Sed quid tot ſonitus duro in certamine? Inepte,
An neſcis ſonitu pugnantum accendier artus?
Corda vigent ſonitu, ſonitu laſsata morantur
Corpora, per ſonitum Martis præcordia turgent (1).
Cerne etenim bellum. Mulier, quæ tarda videtur,
Eligit heroas, quos mox ſaltando fatigat:
Et vento levior compreſsam nunc pede terram
Percutit, & celeres ſaltu nunc verberat auras.
Imberbem juvenem, ſed pugnæ viribus aptum,
Pugnacemque virum depoſcit Marte puella,
Invictoque animo pugnat. Nam cedere cuiquam
Turpe putat: quin quum laſsus jam ceſserit heros,
Athletas alios ſtauranda ad bella laceſſit,
Et pedibus, manibuſque, & toto corpore certat (2).
Quod ſi cuncta cohors bello ſudavit, & alſit;
Cœna relaxatos ſubito corroborat artus,
Ut male finitos conſumment ordine agones.
Patricii hic centum nulla ratione puellis
Immixti (vetulas nam quis complectitur ulnis?)
Pectinibus patulis, oſtreis, & murice ventrem (3)

Ex-

[1] Appoſite ad hæc Buleng. *de Theat.* lib. II. cap. 10. ait: *Cantandi ſaltandique nunc obſcœna ſtudia effeminatos tenent animos, & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum feminis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.* Vid. Senec. lib. I. *Contr.* Gregor. Niſſ. Orat. *de pauperibus*, ceteros. Ut autem *Muſica omnis tribus principiis oriunda eſt, dolore, voluptate, enthuſiaſmo, quæ ſingula mentem immutant, & vocem inflectunt*, teſte Buleng. *ib. cap.* III.; ſic nonnulla muſicorum inſtrumenta ad fortia bella homines ciere ſolent. Unde Cæſar *Bell. Civil.* lib. III. cap. 91. *Neque fruſtra antiquitus inſtitutum eſt, ut ſigna undique concinerent, clamoremque univerſi tollerent: quibus rebus & hoſtes terreri, & ſuos incitari exiſtimaverunt.* Quare Horat. *Od.* I. *lib.* II. *ver.* 17. *& ſeq.*

Jam nunc minaci murmure cornuum
Perſtringis aures: jam litui ſtrepunt,
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.

[2] Hor. *Od.* VI. *lib.* III. *ver.* 21. *& ſeq.*

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artubus
Jam nunc, & inceſtos amores
De tenero meditatur ungui.
Mox juniores quærit adulteros
Inter mariti vina: neque eligit
Cui donet impermiſſa raptim
Gaudia, luminibus remotis.

[3] Nocturnæ illæ cœnæ piſcibus præſertim, patuliſque pectinibus, qui noctu etiam plurimi per litora venduntur, conſtare ſolent.

Explent, Alpinos cyathos pleno ore potantes;
Sexcentum ut decies ſumant uno ordine drachmas.
Nec cantatrices deductæ ſæpe theatris,
Queis equites ſolvunt cunctis impune diebus,
Argutæ pretium vocis, per litora deſunt.
Sed qui bellorum finis? Quo prælia tendunt?
Quidque petunt ſonitus pugnantum corda cientes?
Tantane ſcire cupis? Dicam. Non æthere nimbi,
Non pluviæ manant; tacitis tamen inde cavernis
Æneas reperit ſtratam male fidus Eliſam (1).
Nam quæ de Saliis optantur prælia? Vel quæ
Conjuncti Bacchis (2) certabunt bella Luperci (3)?
Cetera quid dicam nocturnis nota lucernis?
Si mare, ſi litus, currus loquerentur, & ædes;
Ædes, & currus, & litus murmure aquarum
Sæpius heu! Marti, Vulcano, Diſque ſupernis,
Forſan & inferiis, Venerem loquerentur adhæſam.
Hic finis belli eſt, hæc longi meta laboris.
Ergo, Victrices, viridanti tempora myrto
Cingite: Victores, decerptis cingite ramis.
Expectate omnes meritæ vos præmia palmæ;
Dum cornuta micat fulgenti ex æthere luna,
Vel potius lucens vobis aurora reſurgit (4).

[1] Virg. Æneid lib. IV. ver. 164. & ſeqq.

. . . . . . Ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido, dux & Trojanus eandem
Deveniunt: prima & Tellus, & pronuba Juno
Dat ſignum: fulſere ignes, & conſcius æther
Connubii, ſummoque ulularunt vertice Nymphæ.
Illa dies primus leti, primuſque malorum
Cauſſa fuit. Neque enim ſpecie, famave movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem:
Conjugium vocat; hoc prætexit nomine culpam.

[2] *Bacchæ*, mulieres erant Bacchi ſacrificæ, quæ tertio quoque anno ad Cithæronem, & alios montes catervatim cum thyrſis conveniebant, ibique Bacchi orgia magno cum ululatu ſaltando celebrabant.

[3] Locus erat ſub Palatino monte, *Lupercal* dictus, Pani paſtorum Deo ſacratus, in quo ſollemnia quædam feſta quotannis celebrabantur menſe Februario, quibus *Luperci* Panis Sacerdotes nudi per urbem curſitabant: hæc autem *Lupercalia* vocabantur. Vid. Iuſtin. *lib.* XLIII. Ovid. *lib.* II. *Faſt. ver.* 381. &c.

[4] Ludicra chorearum, epulandique certamina a lucernis ad Solem invicta animi conſtantia protrahere ſolent Parthenopes ſtrenuiſſimi Pugnatores, ac Amazones nobiliſſimæ; qui victi victoreſque, victrices ac victæ lætis victoriæ palmis revertuntur.

Digitized by Google

Vos citharæ, & rauca comitantur cornua voce:
Eſſeda feſtinant, pilenta, petorita, currus.
Io conclamant pueri, famulique, duceſque;
Io pugnaces homines, ioque puellæ:
Et reſonat litus, plaudunt vicinia, & omnes
Concuſſæ reſonant elata voce tabernæ.
Io ac ipſe ſimul: benefactis creſcite rebus!
Proh homines validi! Proh fortis femina bellis!
Proh animus conſtans! Proh Martis prælia! Proh Dj!
Ite igitur junctim cantantes præmia; & ite,
Ite domum læti; fertis nam cornua ... Quinam
Mos novus invaſit civis præcordia; tempus
Ut male ſic perdat, persfringat jura, Deoſque
Offendat ſpiſſo, ac obſcœno crimine? Demens
Cuncta ſui oblitus, parat; & non mente revolvit,
Quod Venerem, & turpem ſequitur Libitina Priapum (1)!

LI-

[1] Eximium eſt illud Paulli *ad Gal.* cap. VI. ver. 7. & ſeq. *Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem; qui autem ſeminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.*

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

SERMO PRIMUS.

Nullum apud Romanos tam celebre ſpectaculum, quam Gladiatorium: niſi quod nimia ſanguinis effuſione, tantorumque Civium internecione iure abiiciendum repudiandumque videretur. Nonnulli tamen ex Cauſſidicis Patroniſque peiores hac tempeſtate, magiſque ſunt evitandi; quod non viventes tantum præſenteſque, ſed orituros abſenteſque homines litibus mactant, dilacerantque.

Lucilius, & Pomponius.

Luc. Quid ſtas, Pomponi? Vidiſti marmora dudum,
Haud procul hinc, veteri confracto effoſsa ſepulcro?
Pom. Incerta ex vulgo eſt mihi vox delata per aures;
Sed nulla inſedit celebris ſententia facti.
Da mihi pauca. (*Luc.*) Accede: ex te tu cuncta videbis:
Nam ſubjecta jacent cunctorum marmora ocellis.
Pom. Te ſequor: en adſum. Ruptis expreſſa figuris

Symbola ſunt hæc: hæc Græcis, ac illa Latinis.
Exigua hoc quid ſigna notant deſcripta lapillo?
Ut revolutus humi hic digitos attollit in altum (1)
Oranti auxilium ſimilis! Mucrone jacentem

Ut

---

(1) Nonnulla hic Gladiatorum nomina indicantur: quæ ut clarius innoteſcant, rem fuſius pertingamus, neceſſe eſt. Varii igitur apud Romanos erant Gladiatores.

I. *Retiarius*, *qui*, teſte Iſidoro, *contra alterum pugnantem occulte ferebat rete, quod iaculum appellatur* (reteiaculum) *ut adverſarium cuſpide inſiſtentem operiret, implicitumque viribus ſuperaret.*

II. *Secutor*, ut ait ipſe Iſidor. *eſt ab inſequendo Retiarium dictus. Geſtabat enim cuſpidem, & maſſam plumbeam, quæ adverſarii gladium impediret, ut antequam ille feriret rete, iſte ſuperaret. Hæc armatura ſacra erat Vulcano. Ignis enim ſemper inſequitur: ideoque cum Retiario componebatur; quia ignis, & aqua ſemper inter ſe inimica ſunt.* Nihil ſibi de maſſa hac plumbea lectum, teſtatur Lipſius: Prudentii autem auctoritate tribuit illi gladium, & Dionis ſententia clypeum. Vid. Dio. *in Comod.* Lamprid. *in eius vita*, Cic. *ad Attic. lib.* VII. Paulin. Nolan. Lipſ. *ib. cap.* VII. &c.

III. *Myrmillo* ab aliquibus cum Retiario confunditur: non ita Lipſio viſum eſt, qui, Ammiani auctoritate *de Perſis lib.* XXIII. Myrmillones certe totos in armis indicavit: *Pedites enim in ſpecies Myrmillonum contecti iuſſa faciunt.* Videbantur autem in pugnam ſubſidere ad excipiendum adverſarium, & ita profecto vitabundi. Sic Ammian. *lib.* XVI. *Seque in modum Myrmillonis operiens, hoſtium latera perforabat.* Vid. Auſon. *in Monoſyllabis*, Cic. V. *in Antonium*, Tacit. *lib.* III. *Annal.* Feſt. infer. cit. &c.

IV. *Threx*, ſive *Thrax* aut ab ea gente dictus, aut potius ab illius armis. Unde Feſtus: *Threces Gladiatores a ſimilitudine parmularum Thraciarum.* Et Martial. *lib.* XIV. *ep.* 213.

Hæc quæ ſæpe ſolet vinci, quæ vincere raro
Parma, tibi ſcutum pumilionis erit.

V. *Samnites* vocabantur, qui Samnitium more pugnabant. Quare Liv. lib. IX. *Campani odio Samnitium Gladiatores eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt.*

VI. *Hoplomachi*, qui cum Samnitibus ſæpius certabant; quo nomine etſi Gladiatores omnes intelligantur, ut ait Dio Caſſius; Seneca tamen Pater hanc etiam ab aliis Gladiatorum ſpeciem diſtinguit lib. III. *Controver.* Inquit enim: *Quidam cum Hoplomachis, quidam cum Threcibus optime pugnant.* Et Sveton. *in Caligula*: *Hunc e ſpectaculis detractum repente Threcii, & mox Hoplomacho comparavit.*

VII. Erant & *Eſſedarii*, & *Andabatæ*. Illi e curribus longis haſtis: hi oculis clauſis, & caſſide contectis pugnabant. Unde illud Hieronymi *contra Iovian. Melius tamen eſt, quod dicitur, clauſis oculis Andabatarum more pugnare, quam directa ſpicula clypeo non repellere veritatis.* Vid. eund. *contra Rufin.* Sveton. *in Calig.* cap. XXXV. & in *Claudio* XXI. Senec. *ep.* XXIX. Cicer. *in epiſt. ad Trebat.* Iſidor. &c.

VIII. Erant etiam *Dimachæri*, & *Laquearii*. Illi duobus gladiis, teſte Artemidoro, pugnabant: hi laqueis fugientes capiebant. Hinc Iſidorus: *Quorum pugna erat fugientes in ludo homines iniecto laqueo impeditos conſecutoſque proſternere, amictos umbone pelliceo.*

IX. Denique *Suppoſititii*, qui feſſis devictiſque ſubſtituebantur: *Meridiani*, qui ſub meridiem pugnabant: *Catervarii*, qui confuſi, miſtique, & per catervas decertabant: *Fiſcales*, qui in Cæſaris bonis, & velut fiſco: *Victores*, *Ordinarii*, *Provocatores*, *Obſequentes*, *Conſummati*. Et ita porro. Vid. Lipſ. *Saturn. Serm. lib.* II.

Digitized by Google

Ut ſuper incumbit truculentus & horridus alter!
Vah! quibus iſte modis contorquet retia, & illum
Inſequitur conto, qui piſcem in caſſide portat!
Luc. En titulus poſitus ſuprema in parte ſepulcri:
Quod petis, ipſe dabit: lege. (*Pom.*) Sunt nimis abdita Sphingis (1)
Reſponſa. (*Luc.*) Ipſe legam, ut videar novus Œdipus: audi.
Ob quingenta, dedit quæ primo in munere Rullus,
Hoc ſibi legavit monimentum. Spernere ſi quis
Audeat, aut mutare hoc, inteſtabilis eſto.
Nil lapide hoc legiſſe reor me clarius unquam;
Illorum quamvis non me ſapientia tollat,
Qui facie, & ſtomacho, perfricta & fronte ſuperbi,
Viribus inſiſtunt, obſtant ſermonibus, urgent:
Se dicunt tantum ſapientes, ſeque beatos (2),
Et ſuperaſſe volunt homines re qualibet omnes.
Si tamen hi videant antiqua numiſmata, jam quo
Sculpta die fuerint, noſcunt, quo tempore, & hora.
Sed pete: quando hoc inſculptum? Sub Cæſare, dicunt.
O capita inſulſa! Eſtne ſatis ſub Cæſare ſculptum
Hoc, dixiſſe, fuit? Verum ſub quo, exige ab illis,
Cæſare, quum tot ſint hæredes nominis hujus?
Hærent attoniti. Crines ſed plurima laurus
Quæ lambit, perhibet ſat, Julj Cæſaris eſſe,
Qui Dictator opes infauſto ſidere fregit
Ipſe Latinorum. Sed nunc quæſita reſolvo.
Ædilis, vel Prætor erat, vel forte Tribunus,
Vel quicumque alius, certe fuit Editor iſte
Rullus, quem ſignat titulus deſcriptus in urna.
Hic de more in feſtis Saturnalibus, aut poſt-
Quam, trabea ſumpta, demiſit pectore clavum,
Curuliſque fuit Sellæ decoratus honore (3);

Rem

(1) *Sphinx* monſtrum apud Thebas, cuius caput & manus puellæ &c. Vid. Ioſeph. Scalig. *Animad. Euſeb. ad ann.* 757. Stat. *lib.* I. *Theb. v.* 66.

(2) Superciliosi nimirum quidam recentes Philoſophi, qui ad inſtar Stoicorum putant, *æque miſeros eſſe omnes, qui non ſunt ſapientes*: contra *ſapientes omnes ſumme beatos eſſe*. Vid. Cic. *de Finib.* &c.

(3) *Trabea* veſtis fuit Romanorum ſegmentata trabibus purpura expreſſis. Eius tria genera recenſet Sveton. in lib. *de Veſtimentis*, apud Servium ad *Æneid.* VII.

Rem gratam ut faceret populo, majoraque poſſet
Præmia largiri; donavit munera, nempe
Ludos Circenſes, vel quæ ſpectacula arena
Amphitheatrali populo inſpicienda dabantur.
Nam quingenta dedit paria uno in munere Rullus;
Eſt idem, ac ſi dixiſſes: certamine in uno
Mille animas objecit leto, ſive ferarum
Morſibus, humanæ aut laniandas vulnere dextræ.
Pugnantes *Gladiatores* dixere Latini:
Et certamen erat jucundum præ omnibus unum (1).
Muneris at Rullus tanti quum vellet haberi
Auctor, adhuc vivus deſcribi in fronte ſepulcri
Hunc juſſit titulum, ut populo poſt fata placeret.
Pom. Dic age, quandoquidem reſpirant ocia curis,
Qui Gladiator erat, vel quando receptus in Urbe eſt?
Luc. Longa eſt hiſtoria. At quoniam hæc audire laboras,
Pauca tibi dabo, quæ teneas. Si vera fatentur
Scriptores, fama eſt, quod munera Græcia primum
Iſta ſuis dederit: Tyrrhenis Græcia poſthac:

In-

VII. *v.* 187. Inquit enim: *Trabearum tria genera: unum quod Diis ſacratum, & per totum purpureum: alterum quod eſt Regum, quod eſt purpureum, ſed habet aliquid albi: tertium Augurum, purpura & cocco miſtum. Regio hoc Trabeæ genere, quod ex purpureis faſciis, veluti trabibus [unde & nomen] intextis fuit, utebantur etiam R. Conſules non quidem ſemper, ſed quibuſdam ſollemnibus diebus. Unde* Virg. mox cit.

Ipſe Quirinali Trabea, cinctuque Gabino
Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul.

Utebantur etiam Equites Rom. quo die tranſvectionem faciebant, & aliis etiam temporibus ex peculiari inſtituto. Quare *de Funere Germanici* Tacit. Ann. lib. III. cap. 2. *Atrata Plebs, Trabeati Equites, pro opibus loci, veſtem, odores, aliaque funerum ſollemnia cremabant.* Forma Trabeæ eadem fuit, quæ togæ, niſi quod Sabino ritu præcingebatur, ut eſt in verbis Virgilii allatis. *Sella* autem *curulis* propria fuit magiſtratuum curulium, ut Conſulum, Prætorum, Cenſorum, Ædilium curulium, quum per Urbem irent. Unde deducitur, Trabeam quid dignius Clavo fuiſſe apud Romanos: Clavo enim & Patricii & Equites uſi ſunt, ut adnotavimus in II. *Serm.* lib. I. pag. 18. Sella autem quid dignius ipſa Trabea; Viris enim iam Trabeatis concedebatur. Vid. Cic. *Att. lib.* IV. & III. *Ver. c.* 46. Plin. *lib.* VIII. *c.* 48. Sveton. in *Domit. cap.* XIV. Claudian. *lib.* II. *in* I. *Conſul. Stilic.* v. 4. Liv. *lib.* XXXII. *cap.* 6. Ferrar. *de Re veſt. p. I. lib.* II. *cap.* 5. *&* 6. alioſque.

[1] Ita quidem. Nam Cicero pro *Seſtio*, ait: *Equidem exiſtimo nullum tempus eſſe frequentioris populi, quam illud Gladiatorium: neque Concionis ullius, neque vero ullorum Comitiorum.* Idem Cic. de Gladiat. *Id autem ſpectaculi genus erat, quod omni frequentia, atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maxime delectatur.*

Indeque Tyrrheni Romanis (1). Namque virorum
Captivos homines mactabant funere in ipſo
Fortium: & in Patrocli funus conjecit Achilles
„Bis ſenos juvenes Trojano ſanguine cretos (2).
Sed ne tam fœde crudeli more bidentum
Mactarent homines, poſuerunt prælia: ſic ut
Captivi ante rogum pugnarent, utque viciſſim,
Vis ubi deficeret, delata morte perirent (3).
Hi Gladiatores: horum hæc certiſſima origo:
Quorum nonnullos poſtquam primo ordine Fratres
„ Juniadæ patrio inferias miſere ſepulcro (4);
Acceſſit faſtus, pugnæque licentia major.
Namque domi juvenes præmiſſa lege Laniſta
Inſtruit ad pugnam, exercet gravioribus armis,
Turmatim ducit, jus præbet, ſitque Magiſter,
Hoſque jubet proprii jurare in verba Magiſtri:
Cujus ad arbitrium fuſtes, maledicta, focumque (5),

Ipſa-

[1] Lipſius loco cit. *lib.* I. *cap.* 8. ait: *Origo Gladiatorum a re funebri: exemplum ab Etruſcis. Ita Damaſ. Nicolaus tradit:* Οἱ Ρωμαῖοι, inquit, παρὰ Τυῤῥηνῶν παρειλήφασι τὸ ἔθος. *ideſt*, Romani a Tyrrhenis morem hunc accepere. *At fortaſſe Etruſci ipſi a Græcis.*

[2] Vetus mos erat immolandi captivos: quod ex Homero conſtat, apud quem Achilles in Patrocli rogum conjecit;

Δώδεκα μὲν Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλούς.

(3) Ait enim Tertull. *Olim quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo ingenio ſervos mercati in exequiis immolabant. Poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare: itaque quos paraverant, armis quibus tunc, & qualiter poterant eruditos, mox edicta die inferiarum, apud tumulos erogabant.* *Hæc muneris origo.* Et Servius ad hoc Virgilii:

Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,

Moris erat, inquit, *in ſepulcris virorum fortium captivos necari; quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit Gladiatores ante ſepulcra dimicare, qui a buſti cineribus, Buſtuarii dicti.*

[4] Lipſ. ibid. *Itaque prætextu hoc religionis dati publice Romæ primi Gladiatores. Dico publice; quia facile ſuſpicor iam antea privatim, & per convivia innotuiſſe. At publice primo in Foro boario, anno Urbis* CCCCXC. *dederunt M. & D.Bruti cauſſa mortis patris. Valerius Maximus adnotavit*: Gladiatorium munus primum, *inquit*, Romæ datum eſt in Foro boario, Ap. Claudio, & M. Fulvio Coſſ. Dederunt M. & D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando. *Et Epitome Liviana* XVI. D. Iunius Brutus munus Gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus: *ubi male tamen Scriptoris, an ex ſcriptoris culpa, omiſſus Marcus.* Et Auſonius:

Tres primas Threcum pugnas, tribus ordine ſellis
Juniadæ patriæ inferias, &c.

[5] Incredibile dictu eſt quot quantaque patiebantur, qui ſe Laniſtæ, Magiſtro ſcilicet Gladiatorum, ut cruento illo munere fungerentur, vendebant. Celebris illa Petronii Arbitri *cap.* XVII. formula eſt: *In verba Eumolpi Sacramentum iuravimus, uri, vinciri, verberari, ferro-*

Ipſaque, ſi deerint, tolerent fera fata, neceſſe eſt.
Sic inſtructa ſcholis pugnandi maſcula pubes
Ventilat arma prius ficto certamine, ſeque
Undique diſcurrens furibunda ad prælia fingit (1).
At quum tempus adeſt pugnæ, campumque repoſcunt,
Quum bini, aut plures turmatim prælia telis,
Retibus, & palma, gladiiſque, haſtiſque, ſiciſque
Conficiunt; referet quis quo furor igne medullas
Evoret, & quanta ſiccum jecur æſtuet ira?
Nec ſervi ſolum, damnataque colla capiſtro
His periere armis, ſalvis tot funibus: aſt hinc
Patricios, rubroſque patres hæc febris aduſſit (2).
Cum Graccho & Lepidis juſſus pugnare ſecutor:
Cum ſervis equites, & cum lictore ſenator,
Decertat ferro, librataque retia magno
Conjicit atque trahit pulſu: ſic vertice Galli
Accipiet piſcem (3); quo ſecto, prandia nigras
Ex male confoſſis ducibus demittit ad umbras:

Vi-

ſerroque necari; & quidquid aliud Eumolpus iuſſiſſet, tanquam legitimi Gladiatores Domino corpora, animaſque religioſiſſime addicimus. Ad quæ pertinent illa Horat. *Sat.* VII. *lib.* II. *ver.* 58. *& ſeqq.*

Quid refert uri virgis, ferroque necari?
Auctoratus eas, an turpi clauſus in arca, &c.

Et Tibul. *lib.* I. *Eleg.* 8.

Ure meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga ſeca.

Legendi hac in re Senec. *Epiſt.* VII. & XXXVII. Liv. *lib.* XLIV. Plin. *lib.* XIV. Paterc. & quamplures alii.

[1] *Ventilare*, quod & præludere dicebatur, fiebat, quum parmas, clypeos, haſtas, & fortaſſe etiam gladios ante pugnæ ſignum in altum iaciebant. Seneca enim Pater *lib.* III. *Controv.* clariſſime ait: *Deinde res ipſa diverſa tota eſt: aliud eſt ventilare, aliud pugnare.* Quod & clarius Seneca Filius *Epiſt.* CXVII. oſtendit, quum ait: *Quam ſtultum eſt, quum ſignum pugnæ acceperis, ventilare!* Sic Martial. *lib.* V. *ep.* 30.

Currit, & in tota ventilat arma bove.

Legi poteſt idem Martial. *lib.* IX. *Plin. lib.* XXXVII. Cicer. *de Iſocrate*, Apuleius *lib.* X. & ſic deinceps.

[2] Non ſervi tantum, ſed ſucceſſu temporis liberi etiam Cives, quin Senatores ipſi hæc cruenta munera conficiebant. Quare Iuven. *Satyr.* VIII. *ver.* 192. *& ſeq.*

. . . . *Quanti ſua funera vendant*
Quid refert? Vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant Celſi Prætoris vendere ludis.

(3) In Myrmillonum galeis piſcis effigies inerat. Quare, teſte Feſto: *Retiario pugnanti adverſus Myrmillonem cantatur:* Non te peto, piſcem peto: quid me fugis, Galle? *quia Myrmillonicum genus armaturæ Gallicum eſt, ipſique Myrmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piſcis effigies inerat.*

Digitized by Google

Vidimus interdum Gibos, & Pumiliones (1),
Et ſumptis ocreis, ſumptoque umbone, Puellas (2)
Hoc ruere in munus, quod non indixerat hoſtis:
Inque gradu clauſis pugnant conſiſtere membris,
Ne læta excedat pulſo cum corpore fama.
Hinc quot damna ſubeſt ſectus Gladiator arena!
Auriculis minor hic; naſoque, & crinibus ille;
Ille etiam capite: & perfoſſus vulnere fœdo
Concidit in medio ſpectandus pulvere campi
Fortis, & imbellis, plebejus, patriciuſque.
En igitur fictis bellis certamina vera (3)!
Ecce locus pugnæ media ſignatus in Urbe!
  Aſt ego, ni fallor, tali arte aſſueta juventus
Credo nec metuit fugientis ſpicula Parthi,
Nec Gallos, luſcumque Ducem cum milite Pœno,
Alpinos ſcopulos dum ferro, & rupit aceto;
Et debellato puto ſic requievit ab orbe:
Atque ideo inſtituit lugubres ſanguine ludos
Roma Urbs, ne poſitis unquam requieſceret armis (4).
  Pom. Mos potius ſævas Lapithum mittendus in oras!
Hicne gravis populus pietate inſignis & arte,
Qui genus Æneæ Trojano a ſanguine ducit;
Quum tantos cives, Urbis fortiſſima Romæ
Ludens inferias demittit corpora in undas?

[1] Xiphil. *in Domit.* ait: *Pugnas etiam noctu ſæpe exhibuit: & interdum nanos ac feminas inter ſe commiſit.* Vid. Papin. *de Ludis Domitiani*.

[2] Tacit. *lib.* XV. *Feminarum, Senatorumque illuſtrium plures per arenam fœdati ſunt*. Et Sveton. *in Domit.* ſubdit: *Venationes, Gladiatoreſque, & noctibus ad lychnuchos dedit: nec virorum modo pugnas, ſed & feminarum*. Vid. Statium *in Sylvis*, Dionem, & præſertim Iuvenal. *Satyr.* XI. *lib.* II. *ver.* 258. &c.

[3] Eo proceſſit huiuſmodi muneris inhumanitas, ut in ſola Europa vix ſpatio unius menſis pluſquam 20000. Gladiatores interfecti numerarentur.

[4] Romani horum exercitatione certaminum, militiam quoque, & fortitudinem ſpectabant. Idque ex Cicer. *Tuſcul.* II. clare patet. Ait enim: *Crudele Gladiatorum ſpectaculum & inhumanum nonnullis videri ſolet: & haud ſcio an ita ſit, ut nunc ſit. Quum vero ſontes ferro depugnabant, auribus fortaſſe multæ, oculis quidem nulla poterat eſſe fortior contra dolorem & mortem diſciplina*. Et Plin. *in Panegyrico: Viſum eſt ſpectaculum inde non enerve, nec fluxum, nec quod animus virorum molliret ac frangeret: ſed quod ad pulcra vulnera, contemptumque mortis accenderet; quum in ſervorum etiam, noxiorumque corporibus amor laudis, & cupido victoriæ cerneretur*. Vid. Spartian. *in Severo*, Capitol. *in Vita Maximi, & Balbini* &c.

Sed mihi dic, pugnæ quiſnam fuit Editor? atque hæc
Quando Urbis ceſſit veſana licentia cædis?
Luc. Ædilis, Prætor, Quæſtor fera munera, Conſul,
Iſque dedit primum, tituli cui nomen ab ipſo
Extitit imperio: hinc Reges, forteſque Tetrarchæ,
Urbes, & ſocii: poſthac quis nobilis: inde
Permiſte civis, plebs, ſutor, denique cerdo (1),
Atque rapit gladius, tribuit quod ſubula. Namque
Demiſſo gravium ſtudio cultuque virorum,
Et data ſemellis (2) (pudet!) hæc ſunt dona, (pigetque!).
Syntheſis (3) hæcque ſimul libavit: ſanguine plena

Non

---

(1) Non obſcure conſtat Gladiatorum munera data fuiſſe

I. Ab *Ædilibus*. Capitol. in *Gordianis*, ait: *Ædilitatis ſuæ tempore, duodecim populo Romano munera, ideſt, per ſingulos menſes ſingula de ſuo exhibuit*. Vid. Cicer. *de Offic.* II. Plutar. *in Vita Cæſar. Ædil.* Sveton. *cap.* X. Liv. alioſque.

II. Dabantur a *Prætoribus*. Lamprid. *in Commodo*: *Commodianum etiam Prætorem dixit, quo præſente, ſæpiſſime Gladiator pugnavit*. Et Iuven. *Sat.* VIII. *ver.* 194.

Nec dubitant Celſi Prætoris vendere ludis.

Vid. Plutar. *in Bruto*, Dio *lib.* LIV. LV. *&* LVIII., & alios.

III. A *Quæſtoribus*. Tranquill. *cap.* XXIV. *Collegio Quæſtorum pro ſtratura viarum Gladiatorium munus iniunxit*. Et Capitol. *in M. Antonino*: *Gladiatorium quaſi privatus Quæſtor edidit munus*. Et *in Vero*: *Medius inter Pium, & Marcum reſedit, quum Quæſtor populo munus daret*. Vid. Sveton. *cap.* IV. Spartian. *in Caracalla*, Lamprid. pluresque alios.

IV. A *Conſulibus*. Cicero enim II. *de Offic.* celebrat *magnificentiſſima Pompeii munera ſecundo Conſulatu*. Vid. Marcel. Iuriſcon. lib. XXXVI. Sveton. *de Nerone cap.* IV. ceteroſque.

V. Dabantur denique non ſolum a *Sacerdotibus*, ut ex Tranquillo Aug. *cap.* XLIV. & ex Plinio *lib.* VII. *Epiſt.* apparet, & ab *Ærariis*, ut notat Lamprid. *in Alexandro*; verum etiam ab *Imperatoribus*, qui dabant hæc munera natali ſuo, dabant quinquennalibus, decennalibus, vicesſimalibus, in dedicat. pub. oper. in victoria, in triumpho, &c., ut paſſim in hiſtoriis. Quod autem in *Municipiis*, *Coloniis*, & alibi a privatis etiam *Civibus* Gladiatorum ſpectacula dabantur, latiſſime quidem patet. Cæſar enim *lib.* I, *Belli civilis*, ait: *Capuæ primum ſeſe confirmant, Gladiatoreſque, quos ibi Cæſar in ludo habebat, in forum productos Lentulus libertati confirmat, atque iis equos attribuit*. Id confirmat Cicero *lib.* VII. *ad Atticum*, Spartianus *in Iuliano*. Vid. Sveton. *in Cæſare cap.* XXXI. utroſque Senec. Strabon. Quintilian. Iuvenal. Lipſ. loco pluries cit. alioſque quamplurimos. Quare appoſite Martial. *lib.* III. *Ep.* 16.

Das Gladiatores ſutorum regule, cerdo:
Quodque tibi tribuit ſubula, ſica rapit.

(2) Id Cæſar primum inſtituit in Filiæ ſuæ memoriam, qui, teſte Sveton. *cap.* XXVI. *munus populo, epulumque in Filiæ memoriam* pronunciavit, *quod ante eum nemo*. Id etiam Dio confirmat, aliique ſequuti ſunt. Legimus enim in Spartiano: *Hadrianum præcipuos honores Socrui ſuæ ludis gladiatoriis impendiſſe*.

[3] *Syntheſis* veſtis erat cœnatoria, quæ pro ipſis convivantibus ſumitur. Sic Martial. *lib.* III. *Epig.* 27.

Undecies una ſurrexti, Zoile, cœna,

Et

Nam magis exarſit, quam dulci pocula Baccho.
Ludicra ſed tandem ceſſarunt munera, poſtquam
Roma Byzantinas deportavit in oras
Æneadum imperium ſacris oblutus in undis
Inclytus Induperator, Aventinumque reliquit (1).
Quod ſi tu poſcis, tanti quæ præmia ludi?
Pilleus, atque *rudis*, *palma*, atque *pecunia* claris
Dona quidem Victoribus: hoc tamen ordine, fortis
Præmia ut iſta ſibi ſumat, fortiſſimus illa (2):

Et mutata tibi eſt Synthesis undecies.

Quare Silius *lib.* VI. *Punicor.*

Quin etiam exilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miſcere epulis ſpectacula dira
Certantum ferro, ſæpe & ſuper ipſa cadentum
Pocula, reſperſis non parco ſanguine menſis.

Vid. Spartian. *in Vita Hadria. Imp.* Tranquill. Capitol. *in Vita Maximi*, & *de Vero.* Strab. *lib.* V. Liv. *lib.* IX. Dion. & Horat. qui *Ep.* II. *lib.* II. *v.* 97. ait:

Cædimur, & totidem plagis conſumimus hoſtem,
Lenta Samnites ad lumina prima duello.

(1) Etſi nonnulli modum feciſſent Gladiatoribus, caviſſentque de numero, de armis, de pecunia &c. ut Cicer. *Orat. in Vatin.* & *pro Seſt.* Cæſar apud Sveton. *de Ædilit. Cæſar. cap.* X. Auguſtus *an. U. C.* 732. teſte Dione, Tiberius apud Tranq. *cap.* XXXIV. Antonin. Pius apud Capitolin. Marc. Philoſophus, Alexander, & Nerva; ad Conſtantinum tamen pulcherrimæ rei laus tota refertur: quod colligitur ex Sozom. *lib.* I. ex Calliſto *lib.* VII. ex Ammian. Marcell. *lib.* XIV. aliiſque. Immo Conſtantini lex in Iuſtinian. codice *l.* XI. *Tit.* XLIII. adhuc reperitur: *Cruenta ſpectacula in otio civili, & domeſtica quiete non placent: quapropter omnino Gladiatores eſſe prohibemus.* Iterum tamen ludi irrupere, ut ex *l. quamquam* Cod. Theod. *de Paganis*, ex S. Auguſt. *lib.* VI. *Confeſſ. cap.* VIII. clare patet: ſed Honorio contigit redivivum huius hydræ caput obtruncare, urere, delere. Vid. Theodoret. *lib.* V. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* XXVI. Caſſiod. *in Tripartita lib.* X. *cap.* II. Prudent. *lib. ult. contra Sym.* alioſque.

(2) Quatuor Gladiatorum præmia: Nam I. *Palma:* Cicero *pro Roſcio Am. Plurimarum palmarum nobilis ac vetus Gladiator.* Vid. Sveton. *in Caio*, Lamprid. *in Commodo*, S. Auguſt. *lib.* III. *de Civit. Dei cap.* XIV. & alios.

II. *Aurum*: Sveton. *in Claudio*: *Oblatos victoribus aureos, prolataque ſiniſtra manu, pariter cum vulgo voce digitiſque numeraret.* Vid. Iuven. *ſat.* VII. *lib.* III. *ver. ult.* Et hæc præmia minora.

III. *Rudis*, ſive impolita virga: Calpurn. *Declamat.* L. *in Themate*: *Redemit enim Laniſta, & rudim ei in arena dedit.* Et ita *auctorati* Gladiatores in libertatem redibant, ut ait Horat. *Ep.* I. ad Mæcen. *ver.* 2.

IV. Denique *Pilleus*: ſic in fragmento Ulpiani a doctiſſimo I.C. Pithœo vulgato: *Eſt autem differentia inter eos, qui ad gladium, & eos, qui ad ludum damnantur. Nam ad gladium damnati, confeſtim conſumuntur, vel certe intra annum debent conſumi. Enimvero qui in ludum damnantur, non utique conſumuntur, ſed etiam Pilleari, & Rudem accipere poſſunt poſt intervallum. Siquidem poſt* quinquennium Pilleari, *poſt* triennium *autem* Rudem induere *iis permittitur.* Ubi vel ex intervallo temporis vides, Pilleum Rude meliorem; etſi ambo maiora præmia conſtituerent.

Digitized by Google

Dum proſtrata ſolo detracta cadavera ab uncis
Obſcœnam ludi partem *ſpoliaria* complent (1).
Et Gladiator ovans confecto e munere victor,
Fortia in Herculeis ſuſpendit poſtibus arma (2).
Pom. Sed tu rara putas nobis miracula Romæ
Promere de ludis magna cum cæde cruentis.
Quid ſi nunc doceam, noſtra hac ſine ſanguine in Urbe
Continua eſſe hominum latis certamina in aulis,
Et Gladiatores, & ludorum amphitheatra?
Rides? Riſus abit, mihi ſi conceſſeris aures.
Is Gladiator enim dicam merito adnumerandus,
Qui bona parta virum linguæ, ingeniique labore
Abripit, & fœdis interdum vindicat armis:
Qui nova permiſcens antiquæ jurgia liti
Cunctando emungit diſtentas ſanguine venas,
Corpora nec linquit, donec viduata talentis
Omnibus adſpiciat, minimis aut aſſibus; ut non
Aſſa cutem linquit, niſi plena cruoris, hirudo.
Non tamen is credas, ſtudio doctaque Minerva,
Et Themidos merito gaudentes munere cives,
Inſignes cives, legum juriſque peritos,
Urbs quos tot jactat, cauſſa quos nomino honoris,
Hoc ruere in bellum, & bellis hæc carpere tela:
Namque hi *Cauſſidici*, *Doctores*, nomine & ipſo
Pro re defenſa dicuntur jure *Patroni* (3).

Illos

---

[1] *Spoliarium* locus erat, ubi morientes Gladiatores, ipſaque cadavera ponebantur. Legitur enim apud Lamprid. crebra, mortuo Commodo, Senatus acclamatio: *Gladiatoris cadaver unco trahatur: Gladiatoris cadaver in ſpoliario ponatur*. Quare Plin. *in Panegyr.* de ærario differens, ait: *Nunc Templum, nunc vero Deus, non ſpoliarium Civium, cruentarumque prædarum ſævum receptaculum*. In quo etiam loco læſi Gladiatores, qui curari non poterant, interficiebantur. Senec. *Ep.* XCIV. *Numquid aliquem eſſe tam cupidum vitæ putas, ut jugulari in ſpoliario, quam in arena malit?* Vid. Senec. *de Providentia*, & *lib.* VII. *Quæſt. nat.* Caſſium Sever. *in Controv.* Tertull. ceteroſque.

[2] Athletis, & Gladiatoribus Hercules præeſſe putabatur. Horat. mox cit.

Non eadem eſt ætas, non mens. Vejanius armis
Herculis ad poſtem fixis &c.

Vid. Victruv. lib. I. Varro. & alios.

[3] *Patroni* proprie apud Romanos Patres, ſeu Patricii fuere, ex Romuli inſtituto, qui Patricios patronos plebis, Plebeios Patrum clientes eſſe conſtituit: ut ex Sigon. *de Ant. iure C. R. lib.* I. *cap.* VII. Quoniam vero Patronorum officia fuere, ut clientes omnes in rebus tuerentur, ac potiſſimum ut iis incogni-

ta

Illos muſa refert (Nam quæ caret undique tellus
Vepribus, aut ſpinis? Loliumque per arva rubentes
Occulto creſcens numeroſas urget ariſtas)
Omine qui nati male ſano, ſive quod ipſi
Minxere in patrios cineres (1), aut triſte bidental (2)
Movere inceſti, atque nefaſtis multa diebus (3)
Turpiter egerunt; quamvis nil legibus apti,
Codice nec lecto; defendendas tamen ore
Perfricto aſſumunt cauſſas; & veſtibus unis
Cauſſidicum innixi, ſpe lucri prælia tentant,
Et dici cupiunt communi voce *Patronos*.
Nec mea me certe fallit ſententia. Namque
Si Tytio Cajus nocturno tempore, fractis
Ædibus, aut valvis, decies centena, vel auri
Quid ſimile, & veſtis furatur; protinus inſons
Cauſſidicum appellat, narrat rem, ſingula furti
Exprimit adjuncta; & lacrymis hortatur obortis,
Adjuvet ut miſerum, cauſſam defendat amici,
Sublevet inſontem, depromat pectore vires,
Excitet ingenium: nec enim tibi (protinus addit)
Digna tui deerunt confecti dona laboris.
Cauſſidicus tandem his verbis pellectus, honeſtam

Ad-

ta iura traderent, cauſſamque eorum in foro, re poſtulante, defenderent; factum eſt, ut Patronus pro Oratore, ſive Actore cauſſarum uſurparetur. Quadere Pedian. *in Divin. Verr. cap.* IV. ait: *Qui defendit aliquem in iudicio, aut Patronus dicitur, ſi Orator eſt; aut Advocatus, ſi ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam accomodat; aut Procurator, ſi negotium ſuſcipit; aut Cognitor, ſi præſens cauſſam novit, & ſic tuetur, ut ſuam.* Vid. Cic. *pro Seſt.* II. *de Offic.* XIII. *Fam.* III. *Tuſc.* VII. *de Amic. pro Syll. pro Balb.* &c.

[1] Duplex noxa, & ſepulcri ſanctitatem, & peternam pietatem violare. Perſ. *Sat.* I. *ver.* 113.

Pinge duos angues: pueri, ſacer eſt locus, extra
Mejite. Diſcedo &c.

(2) Locus fulmine ictus Diis ſacer habebitur: bidentes, ara ibi erecta, immolabantur: ſepimentis incluſum calcare nefas erat, homini præſertim conſceleratо. Vid. *Horat. de Art. poet.* ad calcem, Perſ. *Satyr.* II. Gell. *lib.* XVI. *cap.* 26.

(3) Quid proprie ſit nefaſtus dies, in quo nimirum Prætor ius non dicebat, docet Ovid. *Faſt.* I.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur,

ſcilicet, *da*, *dico*, *addico*. Contra dies faſtus: Ovid. *ibid.*

Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Ergo dies nefaſti infortunati ſunt, ac male ominati. Sed legendi ſunt in hac re Cicer. II. de *Leg.* n. 21. Cæl. Rhodig. *lib.* XIV. *cap.* 9. Alex. ab Alex. *lib.* IV. *cap.* 20. Gell. *lib.* IV. *cap.* 9. & *lib.* V. *cap.* 17. Non. Marcell. & præſertim Macrob. *lib.* I. *Saturnal.* cap. 16. &c.

Adgreditur cauſſam: ſcribæ dein munere, & apto
Illius officio, furem denuntiat, ædem
Judicis accedit, teſtes arceſſit, & inſtat,
Ore fremit, loquitur, clamat, pulſat pede terram,
Voceque non homines tantum, ſed percutit auras.
Judicis, his poſitis, exit ſententia: *Cajus*
Suſpectus furti, vel ſons, de more citetur:
Si obſtat, vel renuit, capiatur: lictor (1) *& illum*
Adſtrictum ſævis includat carcere vinclis.
Interea haud operam ſons Cajus ſumit inanem:
Ipſe ſuum pariter Doctorem adit; & modo verbis
Excuſat factum, tanquam accuſatus inique;
Nunc per amicitiam patriſque, ſuamque precatur;
Imploratque fidem, flet, tentatque omnia. Quæ quum
Fruſtra videt ſurdis ſparſa auribus; illico curat
Bellum aliis tentare armis: Pro munere ſpondet
Dimidiam partem, ex ſolido quam dividet aſſe
Emuncti Tytii. Renuit primo ordine Doctor,
Ne macularetur fulgens virtutis honeſtum:
Sed magni tandem mollitus imagine lucri (2),

Et

---

[1] *Lictores* ex ſervis pub. Conſulum, vel aliorum Magiſtratuum erant, qui faſciculos virgarum cum ſecuri ferentes Magiſtratus præcedebant. Dicti ſunt *a ligo*, ſive *a ligandis reis*, vulgo (*Birri*). Illorum munera hæc erant: Magiſtratibus adminiſtrabant in omnibus rebus: ante illos virgarum faſciculos geſtabant, in quorum uno ſecuris incluſa erat: populum ſummovebant, ut locus eſſet Magiſtratibus prætereuntibus: eos, qui Conſulibus obviam venirent, iubebant de equo deſcendere: ſontes virgis cædebant, & ſecuri feriebant. Quamobrem lictoribus uſi ſunt tantummodo Conſules, Prætores, Interreges, Dictatores, & ſi qui alii Magiſtratus una cum poteſtate imperium etiam habuerunt. Vid. A. Gell. *lib.* X. & XII. *cap.* 3. Cic. *pro Rab. cap.* 4. Lipſ. *ad lib.* I. *Ann. Tac.* Sigon. mox cit. *lib.* I. *cap.* 17. & *lib.* II. *cap.* 15. ipſumque Cic. *ep.* I. *ad Q. Frat.*

[2] . . . . . . *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames? Virg. Æneid. III. *v.* 56.
. . . . *Omnis enim res*
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulcris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens etiam, & rex,
Et quidquid volet. Hor. *Sat.* III. *lib.* II. *v.* 94., *et ſeq.* Quid ſimile de Æmilio Scauro ait Salluſt. *de Bello Iug. num.* 15. *Æmilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factioſus, avidus potentiæ, honoris, divitiarum; ceterum vitia ſua callide occultans. Is poſtquam videt Regis* (Iugurthæ) *largitionem famoſam, impudentemque, veritus, quod in tali re ſolet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a conſueta lubidine continuit. Vicit tamen in Senatu pars illa, qua vero pretium, aut gratiam anteferebat.*

Et defendendum ſumit de crimine Cajum.
Hic pariter feſſas ventoſo Judicis aures
Inflat ſermone, & nullas ait eſſe querelas:.
Falſos appellant teſtes: hos excipit, illos
Excludit. Bello falſis ſic undique ducto..
Principiis, ſæva inſtaurantur prælia ab ovo.
Spe magna tumefactus adit tum quiſque tribunal,
Atque ſibi victorque, triumphatorque videtur.
Conducti hinc valida mercede Tabellio, Curſor;
Cauſſidici hinc alii, (ejuſdem ſed forte Minervæ,
Ejuſdemque animi) ad bellum capere arma jubentur.
Lite forum fervet: dubiis victoria pennis
Errat: abit victus, qui dudum victor ovabat.
Namque adeo implexo interdum ſermone loquuntur,
Oppoſitumque ſimul ſibi velle videntur, ut horum
Senſa nec Œdipus ipſe, Sibylla nec explicat ipſa (1).
Quid tamen? Anne putas primum ſolvenda per annum
Lis admiſſa foro? Ah quoties abeat, redeatque
Fas luna'e Cælo eſt! Immo ah quoties ſua Phœbus
Viſa prius fulgens iterumque iterumque reviſet
Signa polo, argutæ donec tot prælia linguæ,
Sæpius heu viduæ, & lacrymis producta pupilli,
Donec amara fori ceſſent certamina (2)! Morbo
Sæpe Cliens moritur, confectus ſæpius annis;
Et morbo ac annis crebro Doctorque Clienſque:
Ille tamen dives numis, & divite tecto;
Hic tecto, & numis inter pauperrimus omnes.

Quod

[1] *Oedipus* Laii Regis Thebanorum, & Iocaſtæ Filius, callido acutoque fuit ingenio, qui ad portam Thebarum Sphingis ænigma diſſolvit. Vid. Plaut. *Pœn.* 1. 3. 34. Terent. *Andr.* 1. 2. 23. Nihil de Sibylla, cuius nomen late patet.

[2] Prolatantur cauſſæ non mediocri Clientum iactura, maximo autem Cauſſidicorum lucro: quum tamen iuſtus Deus, (teſte Petro Bleſenſ. Ep. 95.) *ab eis* (Iudicibus) *aurum non poſtulet, vel argentum; ſed ut audiant cauſſam viduæ, et pupilli, et arguant pro manſuetis terræ*. Quod autem de Iudicibus, id etiam; de Patronis intelligendum. quibus dictum eſt illud *Sapien. cap.* VI. *v.* 3. & ſeq. *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, et virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, et cogitationes ſcrutabitur: quoniam quum eſſetis Miniſtri regni illius, non recte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende, et cito apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt fiet* &c.

Quod ſi clamoſæ confecto munere pugnæ
Alteruter vincit; non victor, victus at ipſe
Semper abit. Quid enim vincit, ſententia tantum
Si ſibi lata favens fuerit? Vox omnibus una eſt:
Hic vicit cauſſam, litem ſed perdidit. Omnes
Namque domus gazas, cumulataque pondera numi
Perdidit hoc bello. Veſtes, pictæque tabellæ,
Arvaque cum cenſu periere; & tota ſupellex
Una etiam periit, ſano vix corpore: tum cum
Munera Patronis eſſent mittenda quotannis,
Quæ feriæ patriæ, quæ Saturnalia poſcunt:
Quum peteret Doctor poſito ſua dona labori,
Sponſa ſibi anterius quovis pro carmine; quumque
Juris Prudentum ad tripodas emerentur utriſque
Oracla ingenti pretio (1). Ergo tempore in uno
Victus, & ipſe ſimul victor certamina perdunt.
Hæc quæ de furtis; de lana ſæpe caprina
Addendum rixis: cives quum forte loci de
Nobilitate, domus de ſanguine, vel titulorum
De gravitate ſimul certant; queis aſcia dudum,
Subula, vel ductum ferventi incudine ferrum,
Aut ovium cura, aut junctum cum vomere raſtrum
Addidit inſignem famam, nomenque. Quid autem
Jurgia proponam, quæ a rebus ſæpe reſurgunt
Heredum fidei commiſſis, reſtituendis
Ulteriore loco ſcriptis heredibus? An non
Maxima Cauſſidicis venit hoc ex fonte diurni
Materies lucri? Lucri bonus eſt odor ex re (2)

Qua-

(1) *Auro loquente*, ait Gregor. Nazian. *iners eſt omnis ratio: perſuadet enim, etſi vocem nullam emittat.* Et Iſa. *cap.* V. *v.* 23. *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auſertis ab eo.* Quæ ita explicat commendatque Petrus Damian. *lib.* II. *Epiſt.* 2. *Nam ubi muneribus inhiatur, conſequens eſt, ut ſicut Iudex hunc, accepta mercede, iuſtificat; ſic illum, qui nihil dedit, affligat. Quibus illico vindictam, quæ illis debetur, intentat: quum ſubdit: Propter hoc ſicut devorat ſtipulam ignis, ſic radix eorum quaſi favilla erit.* Quamobrem Ier. *cap.* XXI. *v.* 8. *Noli occidere nos; quia habemus theſauros in agro frumenti, & hordei, & olei, & mellis. Et ceſſavit; & non interfecit eos cum fratribus ſuis.* Vid. quid ſuperius pag. 62. adnotavimus de auri potentia.

(2) Titus Veſpaſianus apud Sveton. *cap.* XXIII. *reprehenſus a Tito Filio, quod urinæ vectigalia commentus eſſet, pecuniam ex prima penſione eius naribus adme-*

Qualibet. Ac hercle quotnam certamina pollet
Res fidei commiſſa? Etenim hic heredibus ipſis
Subſtituit gnatos ab eadem ſtirpe creandos:
Hinc addit legem, quod ſi delectior heres
Præmoritur teſtatori, vel adire recuſet,
Aut obit impubes, furioſus, prodigus, amens;
Hi, teſtamentum quos juſſerit, accipiant rem:
Femellæ maribus, majori ætate minores
Poſthabiti ſemper, niſi quum ſors abſtulit illos.
Conditionibus hinc variis præſcribit, ut heres
Omnia perficiat: ſi non obtemperat ipſe,
Cedat in alterius fructum poſſeſſio tota.
Excipit agnatum cognatus: ſtirpe virili
Extincta, affines in gentem ſtirpe vocantur:
Subſtituit tandem cunctis collegia, & urbes:
Sic protelatur ſucceſſio in infinitum.
Quæ non, his poſitis, exercet prælia campo
Tam lato clamans Doctorum copia, quando
Mille domo lites crudeſcere cernis in una?
Urget hic, ille obſtat, pleno hic dilitigat ore:
Uni ſpes palmæ eſt, alii victoria certa:
Scribam hic ſollicitat verbis, ſed ſæpius auro:
Illius at ſponſam pro cauſſa circumit alter;
Sæpe tamen dominam, propriæ quo vertat amicum
Mentis ad arbitrium (1). Quod ſi ſententia Doctor
Expavet interdum, ne ſit contraria: tanto
Apta malo ſubito medicina paratur. Ab urbe
Nam nunc erumpit, decreto tempore & hora,
Ne veniat lecti metuendas Judicis ædes;
Et nunc, ut cauſſam protendat longius, ægrum
Se fingit, medicum rogat, ut fomenta dolenti
Imponat ſtomacho, pedibus manibuſque cruorem
Promat, componat lateris, ventriſque tumultum.
Hinc pituita levis tuſſim aggravat, extaque vexat

I Plu-

movit, quærens, numquid odore offenderetur. Illo negante: Atqui, inquit, e lotio eſt.

(1) Vide quæ ſentit Seneca *de Benef.* *lib.* III. *cap.* 7. S. Ambroſ. *in Pſ.* 118. *Octon.* 20. Deut. *cap.* I. *v.* 16. *cap.* XX. *v.* 16. & 18. Lev. *cap.* XIX. *v.* 35. Sap. *cap.* VI. *v.* 11.

Motibus infractis: agitatur ſæpe podagra,
Cruribus interdum; non raro dente laborat,
Sæpe aure, aut oculo, at certe ſemper capite: hoc nam
Se abdicat Orator litis certamine, nulla
Quum ſibi perſiſtant Themidos pia pondera, quumque
Plurima lucroſæ deceſſit copia meſſis (1).
Nonne igitur Gladiatores ratione vocantur,
Qui lingua & ſcriptis, verum ſine ſanguine & armis
Mortales perimunt? Queis quum jam nil, niſi lucis
Uſura incertæ remanet; ſibi mutua, fas eſt,
Æra petant; queis conſumptis, moriantur egendo.
Quin Gladiatore omnes aſſero deteriores
Cauſſidicos, Doctoreſque hujus furfuris. Illi
Namque armis ſeſe lacerant, mactantque viciſſim:
Hi defendendos jugulant, perimuntque Clientes (2);
Damnaque nec tantum natis, aliquando orituris
Sæva parant. Conſumpto nam omni cum lare fundo,
Et primogenitis vix vix generare coactis,
In legem Papiam cogunt peccare minores [3].
Hæc Gladiatores nigris ſub veſtibus, albo
Crinibus abraſis caliendro vertice tecti,
Damna ſolent nullis præbere Clientibus armis.
At majora quidem, donati ſi bene voce
Percutiant aures, homineſque, & tecta fatigent:
Maxima at inde tamen, puerorum ſi ſibi multi
Poſtibus inſedeant, adſint currus, & equorum.


Lon-

(1) De hominibus ita agentibus vid. Io. *cap.* III. *v.* 19. ad Rom. *cap.* II. *v.* 32. Pſ. 35. *v.* 4. &c.

[2] Ea quondam Clientis cum Patrono neceſſitudo erat, ut Clientes perpetuo Patronorum ſuorum patrocinio caput & fortunas ſuas tuerentur: viciſſimque ipſi Patronos ſuo præſidio in periculis defenderent, & omni obſervantia atque obſequio colerent ac venerarentur. Hinc Plutarch. *in Vita Romuli*, ait: *Alios ex multitudine potentes elegit, eoſque Patronos nuncupavit; illos autem Clientes, magnaque illos inter ſe benevolentia devinxit, quæ maximas neceſſitudines productura foret. Hi hominibus oppreſſis, & iudicio circumventis, in obtinendo iure ſuo, et cauſſæ Actores, et Patronos, et Moderatores conſiliorum omnium ſe præbebant: illi vero hos obſervabant non honoribus tantum, ſed etiam copiis ſuis in Filiabus locandis, et in diſſolvendo ære alieno*. Vid. Gell. *lib. V. cap.* 13. Zanch. &c. An tali modo erga Clientes ſeſe gerunt ex Patronis quamplurimi? O præclaros ovium cuſtodes, Lupos!

(3) Hac lege uxorem ducentibus præmia conſtituebantur; quibus tamen nunquam frui poterant minores pro inopia ad Cælibatum coacti.

Longa fremat ſeries hinc indeque vincta, vel alti
Quadrijuges in veſtibulis, & grandior ædes (1):
Subdita in ærumnis dum flet ſapientia fœdis,
Fruſtraque pauperies jactat ſuſpiria ad auras (2).
  Nonne hæc ergo hominum latis ſunt prælia in aulis?
Nonne togatorum bella, & ſine ſanguine cædes?
Mos ergo aut idem nunc eſt, vel fœdius errat.



(1) Vide Iuvenal. *Satyr.* VII. *lib.*III. *a ver.* 119. *uſque ad* 150. ubi præmia non virtuti Pragmaticorum, Cauſſidicorumque laboribus; ſed eorum dignitatibus, atque divitiis conceſſa, graphice deſcribit. Sed illa præſertim hic faciunt, quum ait:

. . . . Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit numos, niſi fulſerit annulus ingens.
Reſpicit hæc primum qui litigat, an tibi ſervi
Octo, decem comites, an poſt te ſella, togati
Ante pedes: ideo conducta Paullus agebat
Sardonyche, atque ideo pluris, quam Gallus agebat,
Quam Baſilus. Rara in tenui facundia panno.

(2) Væ autem illis, qui innocentium lacrymas aſpernuntur! Etenim *Eccli. cap.* XIII. *v.*16. *Non accipiet Dominus perſonam in pauperem, et deprecationem læſi non exaudiet: nec deſpiciet preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus.*

SERMO SECUNDUS.

De Circi Maximi Venatione apud Romanos in publicis feſtis habita, nonnulla paſſim diſputantur. Ferarum autem Venatione nunc ultro ſepoſita, in dignitatibus ac divitiis malis artibus captandis, & ſæpius boni nominis famæque Cives calumniando, Venatores urbani exercentur. Mos improbus, ac pravitas animi inculpantur.

Julius, & Lipſius.

Lip. TAm fero, Juli, ſolus cur arva pererras?
Quo properas? (*Ju.*) Fugio rabioſi tempora ſigni:
Offendor radiis, niſi ſol pæne occidit. Aſt non
Hoc opera exiguum conſumo tempus inani:
Namque errans, meditor. (*Lip.*) Noſtri hæc induſtria moris.
Sed quæ? (*Ju.*) Si Circi quid Venatoribus addam (1),
Atque

(1) Mos fuit apud veteres omnimode iuventutem exercere, ut ſtrenui eſſent in pugnis conficiendis. Sic Maſſylii, Libyes, Numidæ, Getuli *equitandi* ſemper fuere peritiſſimi. Unde Lucan. *lib.* IV. ſcribit, non ullo freno, ſed virga tantum, & voce gubernaſſe equos:

Et gens quæ nudo reſident Maſſylia dorſo,
Ora levi flectit frenorum neſcia virga.

Idemque aſſerit Virg. *lib.* IV. *Æneid.*

Et Numidæ infreni cingunt.

Strabo *lib.* XVII. *Maſſylii, & Libyes parvis equis utuntur, celeribus tamen & manſuetis, adeo ut ſola virgula gubernentur.* Qui mos & Numidis fuit, auctore Livio, *lib.* XXIII. Vid. Herm. Hugonem *de Milit. Eq.* Fuit etiam *Iaculatio*, quæ non modo ſine amento, arcu, baliſtave efficiebatur, verum & ſagittarii ſolis brachiis ſeſe movebant. Sic certare *curſu* familiare antiquitus fuit: *Quis neſcit*, inquit Plutarchus, *maiores noſtros inter alias exercitationes, ad ſpectacula, ad militaria exercitia, ad ſanos habitus adquirendos curſum quoque habuiſſe?* Plato quoque ad bellicas exercitationes ita curſum commendavit, ut non modo viros, & iuvenes, verum etiam virgines, pueros, & mulieres, omneſque tam nudos, quam armatos exerceri voluerit, non in ſtadio ſolum, ſed & in dolichio, in diaulo, & in ephippio. Platonis ſententiam ſequutus Vegetius, milites curſui aſſuefaciendos docet, ut maiori impetu in hoſtem currant, ut loca opportuna celeriter, quum uſus venerit, occupent, ut fugientium facilius terga comprehendant. Quum autem Venatores iaculandi, equitan-

Atque opus incœptum reddam bene ſiſus ad unguem.
Lip. Hoc vitium doctos inter verſatur amicos,
Ut ſi quid ſcribant, ſecum rixentur, & obſtent;
Jam nova temnentes fugiant cane pejus & angue:
Sed quæ ſunt priſcis memorata Catonibus, atque
Vel *Kappam* redolent, aut exornantur *iota*,
Quæ ſitus informis premit, & deſerta vetuſtas,
Hæc ultro cupiunt, ultro hæc ſectantur. Et hercle
Quis noſtrum Æneadum mores non attigit Urbis?
Scripſimus, ecquis non? de rebus ſæpe Latinis,
Nec ſunt Argolicæ intentata negotia terræ.
Eja age, nunc noſtros mores libemus. (*Ju.*) At aude,
Ut libet, en juſſis aſſentior: attamen ipſe
Materiem invenies dictis: ſequar ipſe Catonem
Te, Lipſi, facilis. (*Li.*) Nova quid ſcrutaris? Abunde,
Haud animis reputans, quæ ſint tractanda, dediſti.
Ju. Ipſen? non equidem. (*Lip.*) Tu pol: non addere Circi (1)
Neſcio quid cupiebas Venatoribus? (*Ju.*) Hercle.
Lip. Atque hæc materies dictis. Nam ſi bene noſco,
Nec mea me ſtulte fallit ſententia, multi
Sunt *Venatores* totam, mihi crede, per urbem,
Qui ut prima audaces teneant ſubſellia, vel quo
Judicis arguti fungantur munere, & urbis,
Aut regni longas nutu moderentur habenas,
Undique nunc laqueos, & nunc ſua retia tendunt;
Decipiuntque viros vel nullo crimine, parvis

Aut

tandi, currendique exercitio pollere debent; facile intelligitur, quam in deliciis *Venatio* fuerit apud Romanos. Quadere dum Xenophon in libello *de Venatione* affirmat, venationem eſſe præludium ipſius bellicæ prudentiæ; clarius elegantiuſque Cicero *lib.* II. *de Natur. Deor.* inquit: *Iam vero immanes, & feras belluas nanciſcimur venando, & ut veſcamur iis, & ut exerceamur ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ.* Quæ quidem exercitationes quum magnum uſum procul dubio habeant in militia; hinc ab Romanis *Latinæ feriæ*, hinc *Circenſes*, hinc *Equiria*, *Gladiatores*, aliique equeſtres, ac pedeſtres ludi frequenter dati, de quibus egimus in *Sermonibus* antea ſcriptis.

(1) In Circo Maximo *Venationis* etiam ſpectacula, & quidem magnifica exhibebantur. Vopiſc. enim *in Probo cap.* XIX. inquit: *Venationem in Circo ampliſſimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet; genus autem ſpectaculi fuit tale: Arbores validæ per milites radicitus vulſæ connexis late longeque trabibus affixæ ſunt: terra deinde ſuperiecta, totuſque Circus ad ſilvæ conſitus ſpeciem, gratia novi viroris effronduit.*

Aut fœdos maculis (1). (*Ju.*) Pulcra hæc venatio. At eſto,
Dic age, quæ ſentis: Alias fortaſſe cachinnis
Digna tuis, paucis, ceu mens mihi ſuggerit, addam.
Lip. Ibam forte via, longo quæ tramite in aulam
Parte hac ab ſtudiis regalem ducit, & illa
Reſpicit excuſſum prolixa lite tribunal,
Quæque ſuum ſacra deducit nomen ab æde (2).
Tunc ego, ceu rerum ſtudioſus ſæpe novarum,
Continui greſſum. Quot curſus, quotque recurſus
Hinc atque inde hominum male ſuta veſte nigrantum!
Hi pedibus currunt, deſtructis curribus illi (3):
Detinet hos ternos conſultans pagina: binos
Scriba illos, nonnulla docens, dum garrit ad aures.
Horum ego longævum quendam, dum forte tabellas
Conſulit ipſe ſuas, timidus petii: inde lacerto
Leniter excuſſo: rogo, dic, dulciſſime rerum,
Quo gens tanta ruit? Cur huc concurſus, & illuc?
Hoſpes enim nequeo rerum dignoſcere cauſſas.
Naribus attollens ſenior tunc pondera vitri,
Quo male curtatis viſu ſuccurrat ocellis,
Inque meam faciem ſuſpendens lumina: quid tu,
Ex Calabro mox exſcendiſti litore, ita ut te
Parthenopes fugiant vulgata negocia? Gens hæc
Dextrorſum tendens, regalem tendit in aulam,

Ut

(1) Deploranda quidem morum improbitas! de quibus etiam Salluſtius in pleriſque ſui temporis Civibus apertiſſime queritur, quum *de Bello Iugur. n.4.* ait: *Quis eſt omnium his moribus, quin divitiis, & ſumptibus, non probitate, neque induſtria, cum maioribus ſuis contendat? Etiam homines novi, qui antea per virtutem ſoliti erant nobilitatem antevenire, furtim & per latrocinia potius, quam bonis artibus, ad imperia & honores nituntur. Proinde quaſi pretura, & conſulatus, atque alia omnia huiuſcemodi per ſe ipſa clara et magnifica ſint; ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea ſuſtinent, virtus eſt*. Non ita pridem apud Gentiles, barbaraſque nationes. Et profecto *id. ib. num. 6.* ait: *Ubi primum adolevit* (Ingurtha) *pollens viribus, decora facie, ſed multo maxume ingenio validus, non ſe luxui, neque inertiæ corrumpendum dedit, ſed uti mos gentis illius eſt, equitare, iaculari, curſu cum æqualibus certare; et, quum omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus eſſe: ad hoc pleraque tempora in venando agere: leonem, atque alias feras primus, aut in primis ferire: plurimum facere, et minumum ipſe de ſe loqui*. Noſtri autem Cives fraude, dolis, ac malis artibus reguntur.

[2] Via ſcilicet, quæ vulgo dicitur [*la ſtrada dello Spirito Santo*].

[3] Cauſſidici ſcilicet, Patronique huius Urbis deſcribuntur, dum mane Tribunal magnamque Curiam turmatim petunt.

Digitized by Google

Ut jura, ut leges capiat, litiſque tabellas:
Genſque ſiniſtrorſum tendens, petit iſta tribunal (1),
Jurgia quo defert juris legumque peritus,
Sonſque ubi, & inde cliens, judex, conſultor, & inſons,
Patricius, balatro, mendicus, pharmacopola
Mox dant, mox capiunt confuſa voce querelas.
I tu, cerne oculis: nam tempus me vocat ad rem.
Inde ſalutatus præceps abiit: ſimul ipſe
Limina delegi, jactat quæ Curia. Sed ne
Longius hic teneam te, quæ mihi viſa, docebo.
Sunt camaræ ingentes ſublimi in parte Senatus:
Non adſunt eboris ſtatuæ, non æris; Apellis
Nec gens ſuſpendit vultum mentemque tabella;
Nulla aulæa ſimul detectos ſerica muros
Ornant: nec circum multæ longo ordine ſedes
Excipiunt homines, ut fas eſt, ordine: nec jam
Ambulat hos juxta, ſplendet quibus *aurea clavis*,
Et *rubra* oblique circumdat *faſcia* pectus (2),
Femina, quam ſtringit veſtis non ſuta, cuique
Alta tegens humeros deſcendit vertica tela,
Sub mento & pendet non lactans tertia mamma (3):
Nec jam cum puero matronam linea jungit:
Ecquid enim mulier doctas contingeret ædes?
Undique ſed circum vadunt, redeuntque Patroni,
Cauſſidici, & Scribæ, & totus venerabilis ordo

Do-

---

[1] *Tribunal* apud Romanos fuit ſuggeſtus editior, unde conſpici Magiſtratus ab omnibus poterat, multorum hominum capax, in quo ſella curulis (iuriſdictionis inſigne) locata erat, ubi ſedens Prætor cognoſcebat, & pronunciabat. Cicer. *in Bruto cap.* XLVIII. *Volo hoc oratori contingat, ut, quum auditum ſit, eum eſſe dicturum, locus in ſubſelliis occupetur, compleatur Tribunal.* &c. Unde patet locum fuiſſe multorum hominum capacem. Et *lib.* I. *de Orat. cap.* 37. *Nobis in Tribunali Quin. Pompeii Prætoris Urbani ſedentibus*. Et Tacit. *lib.* I. *cap.* 75. *Tiberius aſſidebat in cornu Tribunalis, ne Prætorem curuli depelleret*. Dictus eſt *a Tribuno:* nam proprie eſt ſedes Tribuni, ut *Papias* exponit, hoc eſt, locus ſublimior, ubi is ius dicebat. Nunc autem per Synecdochen ſumitur pro quovis loco, ubi ius redditur. Vid. Cicer. *Verrin.* IV. *cap.* 38. *ad Q. Fr. lib.* I. *ep.* 1. *lib.* III. *Fam. ep.* VIII. *In Piſon. cap.* V. *Ver.* VII. & ita porro.

(2) *Equites S. Ianuarii* Neapoli a Carolo Borbonio Siciliarum tunc, modo Hiſpaniarum Rege inſtituti, vulgo (*Faſce di S. Gennaro*).

(3) Mulieres quædam prope Urbem Neapolis, quæ gutture nimis tumente laborant, quæque ſcripto iam modo induere ſe ſolent.

Doctorum. At crebro varii pro munere & arte
Accedunt pariter nullo diſcrimine cives.
Namque equites miles ſequitur, famuloſque tribunus;
Et modo centurio natos de gente popelli (1).
Hos inter medios poſitus ſimul ipſe, nec horæ
Longum conſumens ſpatium, jam denique Judex
Nobilis atque decens, ſed non gravitate ſupina,
Ingreditur, proprii ut teneat ſubſellia juris.
Conticuere omnes: ſic cuncti tum pede ſtantes
Submiſſo capite officii ſua debita præſtant.
Ultima ſed propriæ repetens is limina ſedis,
Accedunt omnes, data ſit qua copia fandi (2).
Multa oculis vidi: expanſis nam plurima valvis
Exequitur Judex: audit, loquiturque benigne.
Pauca tamen veniunt lente demiſſa per aures:
Nam raro oppoſitos, pateat modo janua, tangunt
Caſtigata viros compreſſis verba labellis.
Sed quando acceſſit numeroſa ad limina Judex,
Hoſque illoſque videt, quorum jam nota voluntas
Turpis in officium civis; qui jurgia malunt,
Reſque novas, ac lites (quos ego jure doloſos,
Et *Captatores*, *Venatoreſque* puto omnes (3)
Dicendos): uni ſapiens Vir: Quid tu, ait, optas?
En, Domine, oſtendit quæ poſco, pagina. Verbis
Si quid amas: levis eſt, ac turpis *Furcifer* iſte,
Quem brevibus dictis, ſed certis pagina ſignat:
Diſſimulat, ſimulatque ſimul, mentitur, & audet:
Conjux nulla domi eſt tuta, alteriuſque rapit rem:
Contemnit leges, nec Religione tuetur (4).

Hæc

[1] Nunquam, aut nimis raro nobiles inter ac plebeios diſtinguitur, qui magnam Curiam, ſive Tribunal expoſtulant. Suo enim ſemper ordine, iiſdemque camaris frequentiſſimi cives excipiuntur; quod & Principis poteſtatem, & parem erga ſubditos benevolentiam clariſſime oſtendit.

[2] Secreto nonnulli, ceu res poſtulat, loqui ſolent. Tunc autem nihil abſentibus innoteſcit. Nonnulli autem palam loquuntur: & tunc profecto acta, quæſtiones, reſponſa adeo adſtantibus pateſiunt, ut lippis & tonſoribus communia prorſus evadant.

[3] De huiuſmodi hominibus legendus *Ulp. l. 1. §. Medicos ff. de var. et extraord. cog., et l. 3. ff. Stelion.*

(4) Hæc crimina ſunt, quæ a Captatore doloſo acute contra virum innocuum col-

Hæc ait, in rectum tendens ſua retia civem;
Sicque putat demens tacitis venarier armis.
Tunc Judex: nobis quid tu tam grandia vendis?
Multa equidem conſcripta lego, aſt intelligo pauca.
Dic, qua ſcripta manu fuit hæc tua littera? At ille
Muteſcit. Quonam ſubſcripta eſt nomine? Namque
Nulla jacent pedibus, ceu mos eſt, ſigna notæque
Emunctique viri, violatæ & conjugis. Actor
Quis cauſſæ? Et tacet. Ah! demens, deludere cæco,
Dux ait, optabas folio hoc veneranda pudicæ
Munera juſtitiæ? Non iſto vivimus aula,
Quo tu rere, modo: Domus hac nec purior ulla eſt,
Nec magis his aliena malis. Apage, impie, ne te ....
Hæc ait; hinc totam digitis lacerata per ædem
Charta volat: metuenſque fugit captator, Erinnym (1)
Ore ferens. (*Ju.*) Magni ſunt hæc monimenta Senatus.
Lip. Aſt non tota tamen completa eſt fabula. Namque
Audax ecce alter perfricta fronte Viro ſe
Obtulit, ac ſi ſcurra foret cathaphractus inani
Strenuus in ſcena, qui devorat ore gigantes (2),

K Plu-

colliguntur. Hiſcene armis Patria defenditur? Hiſcene artibus exercetur Iuventus? Non hæc quidem exempla ab Ethnicis capiuntur. Etenim de Romanis ait Salluſt. *de Bello Catilin. num.* 7. *Iam primum iuventus ſimul ac belli patiens erat, in caſtris per laborem uſu militiam diſcebat, magiſque in decoris armis, et militaribus equis, quam in ſcortis, atque conviviis libidinem habebat. Igitur talibus viris non labor inſolitus, non locus ullus aſper, aut arduus erat, non armatus hoſtis formidoloſus: virtus omnia domuerat: ſed gloriæ maxumum certamen inter ipſos erat. Sic ſe quiſque hoſtem ferire, murum aſcendere, conſpici dum tale facinus faceret, properabat: eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant. Laudis avidi, pecuniæ liberales erant: gloriam ingentem, divitias honeſtas volebant*. Quid ſimile huius tempeſtatis homines? O tempora! O mores!

(1) Salluſt. *ib, num.* 16. ſic graphice Catilinam deſcribit: *Igitur color eius exſanguis, fœdi oculi: citus modo, modo tardus inceſſus, prorſus in facie vultuque vecordia inerat*. Cui Cic. conſentit: *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis ſæpe numero videtis eos, qui aliquid impie ſceleratcque commiſerunt, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, et ſuus terror maxime vexat; ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes conſcientiaque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ*. Et Latin. Pacat. *Panegyr. Ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat, ut in ſpeculo frontium imago extet animorum*. Vid. Gell. *lib.* XIII. *cap.* 29. Cicer. *Tuſc.* I. Feſt. Zanch. alioſque.

(2) Scurra etſi captantibus riſum nomen proprium ſit; mimis tamen ſæpiſſime tributum eſt. Sic Iuven. *Sat.* XIII. *ver.* 109. *& ſeq.*

.... *Mimum agit ille,*

Ur-

Plurima promittit regno, ac civi utilia, atque his
Orditur verbis: Novies centena quotannis
Divite cum Pedio ſolvit Poplicola pro tot,
Quas reddit latis, Apulia mercibus, arvis (1):
Et vix contenti parvo de more lucello,
Affligunt homines, qui vectigalia ſolvunt:
Et quidquid decumis, ſcriptura, quidve ſalictis,
Vel pratis capiunt (tellus quæ Daunica abunde
Exhibet indignis) loculis pariter cito condunt:
Et quamvis nimio cumulentur ſcrinia acervo;
Sera venit certis promiſſa pecunia ſcriptis;
Nam Veneri e Baccho congeſtum ſumitur aurum.
Hæc mihi ſi dentur Cupido, ſocioque Petillo
Munera, deleto Pedii jam nomine; in anno
Haud novies, decies ſolvam centena; potenſque
Sponſor Tarpa mihi eſt; creſcetque pecunia regni,
Atque homines læti, læta & Reſpublica. Tunc Vir
Hæc animo haud tolerans (velut Ethna, furenſque Veſevus (2),
Qui poſtquam longo tacuerunt tempore, tandem
Diſſimulata diu eructant incendia; Cælum
Sulfurea inficiunt anima, effunduntque per agros
Tor-

Urbani qualem facundius ſcurra Catulli.

Et Iul. Capitol. *in Vero* cap. VIII. *Adduxerat ſecum et fidicinas, et fidicines, et hiſtriones, ſcurraſque mimarios, et præſtigiatores, et omnia mancipiorum genera, quorum Syria, et Alexandria paſcitur voluptate, prorſum ut videretur bellum non Parthicum, ſed hiſtrionicum confeciſſe.* Utebantur autem larvis tam lato ore efformatis, ut homines evorare velle viderentur. Sed de hiſce fuſius egerunt Suidas, Pollux, Bulengerus, Ficoronus, Ageſil. Mariſcot. plurimique alii.

[1] Supervacaneum eſt de *Apulia*, ſive *Daunia* aliquid dicere, quum præter Geographos de hac ſcripſere Horat. *lib.* III. *Od.* 4. Martial. *in Apophor. epig.* 155. Plin. *lib.* III. *cap.* XI. aliique quamplurimi.

[2] *Veſuvius*, qui & *Veſevus* dicitur, notiſſimus Campaniæ mons, ignivomus, agroſque, præterquam in eacumine, miræ habens fertilitatis; antiquitus ſæpius arſit, nunquam tamen vehementius, quam imperante Tito, quo tempore erumpens ex eo ignis vicinas regiones latiſſime populatus eſt. Anno etiam 1632. ſic æſtuavit, ut calamitatem ultimam Neapolis expectaret: quod etiam poſtea pluries accidit; præſertim autem nuper menſe auguſto 1779. quum flammæ ac lapides ad miram altitudinem aſcendiſſent. De eo ſcripſerunt primum *Recupitus*, & *Mieattus*, deinde clariſs. Philoſoph. *P. della Torre* Congregat. Somaſchæ; denique hoc an. 1780. *P. Ludovicus Maria de Curtis* Schol. Piar. philoſophica Diſſert. qua cauſſas flammarumque rationes detexit & explicavit. Vid. Epiſt. Plinii Iunior. *ad Tacit.* quæ naturali hiſtoriæ eſt præfixa. Martial. *lib.* IV. *Epig.* 44. Valer. Flac. *lib.* III. *v.* 209. &c.

Torrentem ignitum, & putrefacta bitumine ſaxa)
Evomit admiſſas in carcere pectoris iras (1),
Argumentaque vivida, quæ compreſſa creat mens,
Exhibet indigno verbis tam digna paranti:
Quidquid tu dicis, Cupide, aut ſic verum erit, aut non:
Si verum; cur prudens ſic nunc præcipitas te?
Nam tu ſponte tua centum plus millia in anno,
Quam Pedius, ſolves, ut ais: niſi forte putandum,
Te magis afflictæ poſthac calcaria genti
Addere velle. Etenim civis, qui plura quotannis
Solvit, pacta eadem quum ſit merx, fundus & idem,
Is majora ſimul capiat rapiatque, neceſſe eſt (2).
Aut ſi falſa refers; quæ te dementia cepit,
Ut credas vulpem corvum deludere hiantem?
Ut fas, utque nefas confundas; crimina rectis
Civibus imponas; Themidos mendacia in aula
Fundas, ac ſimules? Scelerate, hinc te cito noſtris
Abde oculis: alios, haud nos tot fraudibus urge, &
„Creſcentem tumidis infla ſermonibus utrem (3).
Conticuit, plauſere omnes poppyſmate multo.
Tum veluti in ſtupro Veſtæ deprenſa Sacerdos,
Erubuit petulans Captator, & illius una eſt
Voce, & inurbanis exploſa ſcientia ſannis (4).
Hæc vidi lætus, mecum pia munera, & æqui
Judicis ingenium volvens: nec plura moratus,
Curiæ ab æde meam duxi veſtigia in ædem.

[1] *Ira*, quæ *furor brevis* ab Horat. *Ep.* II. *lib.* I. dicitur, igni ſæpiſſime aſſimilatur. Pſ. 88. 47. *Exardeſcet ſicut ignis in ira tua*. Pſ. 2. 13. *Quum exarſerit in brevi ira eius*. Pſ. 17. 9. *Aſcendit fumus in ira eius*. &c. In illis igitur qui pro veritate contra mendacium accenduntur, non vitium, ſed virtus debet exiſtimari. *Pſ.* 78. 5. *Accendetur velut ignis zelus*. Vid. *Ierem.cap.* IV. *v.*4. *Thren. cap.* I. *v.* 4. *&c.*

(2) Quomodo enim ſolvet maiora, qui avaritia ductus acervum ſibi auri undequaque expoſtulat? Vid.quæ ſcripſit Cic. *in Verrem*.

(3) Viri ſummæ ſapientiæ eſt, fraudes hominum ac calumnias detegere. Hinc David. *Pſ.* 118. *v.* 134. *Redime me a calumniis hominum, ut cuſtodiam mandata tua*. Quæ verba S.Auguſt.Conc. 27. ita eſt interpretatus: *Tu age infuſo ſpiritu tuo, ne me calumniæ hominum terroribus vincant, et a tuis mandatis ad ſua mala facta traducant. Si enim hoc mecum egeris, inter ipſas calumnias cuſtodiam mandata tua*.

(4) *Stare non poteſt, quem conſcientia deſtituit, impellit reatus. Nullum vero eſt ſupplicium damnati, ubi non eſt pœna peccati*, ait S. Petrus Chryſol. *Serm.* 135.

Ju. Scilicet hæc cauſſa eſt, qua multi carcere cæco
Languent; qua multos excepit pœna triremis;
Et qua nonnulli fugientes jura Senatus (1),
Dimiſere domus, & regni limina, quave
Exſilii pœnas totum ſubiere per ævum!
Raro etenim crimen commiſſum oblivio condit,
Quin nihil occultum, nova quod non detegat ætas.
Lip. Nonne igitur noſtra pariter verſantur in urbe
Eximii Venatores, qui retibus ægros
Decipiunt homines? Hos, Juli, te rogo, ſcriptis
Pone tuis. (*Ju.*) Potius brutorum hos nomine dicam:
Namque horum ut genti feritas minus horrida parcat,
Judicis ingenio, & mentis ſapientia, ab ore
„Subtrahitur diris conſueta leonibus eſca.

SER-

[1] Criminibus impiorum, ſi fuerint impunita, facile regna diſſipantur. Quare *Eccli. cap.* X. *v.* 8. *Regnum a gente in gentem traſfertur propter iniuſtitias.* Neque immerito. *Remota enim iuſtitia,* inquit Auguſt. lib. de *Civit. Dei cap.* 4. *quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? quia ipſa latrocinia quid ſunt, niſi parva regna?* Hac de cauſſa Cicer. *Philip.* VIII. n. 5. ait: *In corpore ſi quid eiuſmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, uri ſecarique patimur, ut membrum aliquod potius, quam totum corpus intereat: ſic in Reipublicæ corpore, ut totum ſalvum ſit, quidquid eſt peſtiferum amputetur. Dura vox! multo illa durior: ſalvi ſint improbi, ſcelerati, impii: deleantur innocentes, honeſti, boni, tota Reſpublica.* Addit etiam *pro Milone* n. 16. *Spem impunitatis maximam illecebram eſſe peccandi.* Quare concludendum cum Io: Chryſoſt. *Homil.* 33. *in Matt. Miſericordia tunc vere eſt miſericordia, ſi ſic facta fuerit, ut Iuſtitia per eam non contemnatur; ſi vere Iuſtitia contempta, miſericordia obſervetur, ipſa miſericordia non eſt miſericordia, ſed fatuitas.*

Digitized by Google

SERMO TERTIUS.

Stoicorum ſapientia refellitur ; vera exponitur ; quique Philoſophi ſint , rationibus comprobatur. Iterum de Circi Venationibus exhibentur nonnulla. Sed fuſius improbitas illorum notatur, qui ferarum Venatione ſepoſita, mulierum, quæcumque illæ ſint, matronarumque pudicitiam ſpe, largitione, maliſque quibuſdam artibus undequaque ſectantur.

Lipſius, & Julius.

Lip. QUæ, Juli, tumidum flagrans jecur excitat ira?
Quidve ſophi pacem detruſit pectore? Namque
Si quis amicitiæ ſtudio, vel more notandi
Ipſe ſupercilio, frontis ſive indice novi;
Non eadem tibi mens, animus non inſidet idem (1).
Jul. Cedo, ſcias hilari triſtes, triſtique jocoſos,
Quin & inurbano lepidum ſecernere civem:
Sed non jure ſophi me appellas nomine, viſus
Quum tibi ſum, Lipſi, flagranti percitus ira.
Eſt nam juncta ſopho ſtrictis ſapientia vinclis:
Et merito: Quid enim ſophus eſt? Certe ſapiens: Hic
Natus, & illa parens. Sapienti quæ, precor, ergo
Das cæcos animi motus, iraſque furentes,
Quas ſapiens facili detruſit pectore, quaſque

Pa-

(1) Plin. *lib. I. cap.* 37. ait : *Frons homini tantum index triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeveritatis. In aſcenſu eius ſupercilia pariter & alterne mobilia: & in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maxime indicant faſtum. Superbiæ alibi conceptaculum, ſed hic ſedem habet. In corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet. Nihil altius ſimul abruptiuſque invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet.* Hinc Cicero *in Piſ.* ſeveritatem, mentiſque ægritudinem *frontis nubeculam* appellat. Euripid. Hippolit. ὀφρύων νέφος. Et Horat. *lib.* I. *Ep.* XVIII. *ver.* 94. *Deme ſupercilio nubem* &c. Vid. adnot. *Serm. ant. pag.* 72.

Pacis certa ſuæ nuſquam ſapientia novit (1)?
Lip. Quas uno in verbo ſublimes conſtruis arces!
Non ego te, Juli, ſapientum de grege dixi
Stertinium, qui omnes ſtultos præter ſapientes
Jure vocat (2); ſed te doctumque, ſophumque vocavi;
Scilicet ut ſapias vitæ tolerare labores,
Sortis & adverſæ, ceu par, moderarier ictus (3):
Non ut ſurgentes nequeas ſentire tumultus,
Anfractuſque animi varios, quibus undique circum
Vallatur nunc flens, nunc lætus ſpiritus, & qui
Vel mœſta, aut hilari reteguntur imagine vultus (4).

Sic

---

[1] Præclare Cic. *de Finib.* *num.* 50. *Sapientiam, temperantiam, fortitudinem, copulatas eſſe docui cum voluptate, ut ab ea nec divelli, nec diſtrahi poſſint. Sic de Iuſtitia iudicandum eſt, quæ non modo nunquam nocet cuiquam, ſed contra ſemper alit aliquid tum vi ſua atque natura, quod tranquillet animos; tum ſpe, nihil earum rerum defuturum, quas natura depravata deſiderat: quemadmodum temeritas, libido, ignavia ſemper animum excruciant, ac ſollicitant, turbulentæque ſunt* &c.

[2] Tota ſapientiæ Stertinii laus in eo eſt, quod omnes ſtultos eſſe docuerit. Vid. Horat. *lib.* II. *Satyr.* 3. ubi acute vellicat pleroſque vanæ mentis homines, qui ſolos ſe ſapere venditabant.

[3] Vere ſapientis eſt, ut in ſecundis non extolli, ſic in adverſis non frangi. Cic. *Offic.* *lib.* I. *num.* 101. *Duplex eſt vis animorum, ac naturæ. Una pars in appetitu poſita, hominem huc & illuc rapit. Altera in ratione docet & explanat quid faciendum fugiendumve ſit. Ita fit, ut ratio præſit, appetitus vero obtemperet . . . . Efficiendum autem eſt, ut appetitus obediant rationi, eamque nec præcurrant ob temeritatem, nec propter pigritiam, aut ignaviam deſerant* &c. En quomodo Valer. Maxim. lib. III. cap. VIII. Sapientis conſtantiam laudavit: *Q. Scevola truculentius ſibi minitandi Syllæ: licet, inquit, mihi agmina militum, quibus Curiam circumſediſti, oſtentes, licet mortem miniteris; nunquam tamen efficies, ut propter exiguum ſelinemque ſanguinem meum, Marium, a quo Urbs atque Italia conſervata eſt, hoſtem iudicem.* Et Perſ. *Satyr.* *V.* *ver.* 38.

. . . . Intortos extendit regula mores:
Et premitur ratione animus, vincique laborat.

Quare optime Horat. de iuſto tenacique viro *lib.* III. *Od.* 3. concludit:

Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

[4] Natura imprimit in animo affectus præſenti conditioni idoneos, in adverſis mœſtitiam, in proſperis gaudium &c. Sic Cicero *de Orat.* III. *omnes animi motus ſuum quemdam habent a natura vultum, ſonum, geſtum: totumque corpus, omnis vultus, omneſque voces, ut nervi in fidibus, ita ſonant, ut a quoque animi motu ſunt pulſæ.* Quare Horat. *de Art. poet.* *ver.* 105. *& ſeqq.*

. . . . Triſtia mœſtum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem laſciva, ſeverum ſeria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnes
Fortunarum habitum: juvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit:
Poſt effert animi motus, interprete lingua.

Sic etenim ſtultum, vel duro ex robore truncum
Te te dixiſſem, non ipſe ſophum. Liceat ſic,
Namque volunt, ſtupidis Damaſippi credere alumnis.
Jul. Ipſene ſum ſapiens tantum dignoſcere recta
Quum valeam curvis? Eſto: Natura tamen, quæ
Semina virtutum mortali in pectore figit,
Et quæ Socratici privato jure pudoris
Fundamenta jacet (1), trutina non pendet eadem
Munera, queis animi creſcunt, ac robora cordis:
Hinc varii vario panduntur pectore cives.
En Cato pro patria moritur, vultuque tremendo
Palmam Victori terrarum adimens, manibus ſe
Fransfodit ipſe ſuis (2). Torquatus funere natum
Crudeli damnat, ſobolis nec parcit amori (3).
Anytique reus, fruſtra quem deinde tyranni
Ploravere ſui, biberet quum pocula mortis,
Ad letum haud trudi, nullo ſed crimine lætus
Credidit ætheream moriens aſcendere in arcem (4).

Quod

[1] Quæſtio eſt a veteribus agitata plurimum: *Virrutem doctrina paret, naturane donet?* Et certe Tullius *in Partit. Orat.* dubitando interrogat: *Quonam pacto virtus pariatur, naturane, an ratione, an uſu?* Sed pro Arch. Poet. ſic ceniet: *Sæpius ad laudem, & virtutem natura ſine doctrina, quam doctrina ſine natura valuit. At quum ad naturam eximiam & illuſtrem acceſſerit ratio quædam, & confirmatio doctrinæ; tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare exiſtit.* Hinc Plutarch. *Naturam ſine diſciplina cæcam eſſe*, ait. Præclarius autem, ac magis apposite Ariſtoteles *in lib. Ethic. ad Nicomach.* rem explicavit, tum cum ait: *Virtutes morales a natura inchoatas, doctrina & uſu perfici.*

[2] Cato ad Uticam obſeſſus, Pompeianas partes victas adſpiciens, poſtquam legiſſet Platonis librum de anima, *ne tyrannum videret*, ut ait Cic. *de Offic.* I. propria manu ſe peremit. Unde ab Horat. *lib.* I. *Od.* 12. *Catonis nobile letum* nuncupatur. Et *lib.* II. *Od.* I. ait:

Et cuncta terrarum ſubacta
Præter atrocem animum Catonis.

Sed varii varie de eius morte ſentiunt. Vid. Flor. *de Philippen. certam.* Appian. Plutarc. Dion. Lucan. & S. Auguſt. *de Civ. lib.* XIX. *cap.* 3. qui indignam laude Catonis mortem aſſerit.

[3] Titus Manlius Torquatus cognomento *Imperioſus*, ſæviſſimi exempli auctor fuit, filio ſuo maximæ ſpei iuvene, quod contra imperium ſuum in hoſtem pugnaſſet, quamvis id feliciter, virgis cæſo, & ſecuri percuſſo. *Vid. Liv. lib.* IV. *Gel. lib.* IX. *cap.* 13.

(4) Socrates Anyti reus ab Horat. *lib.* II. *Satyr.* 4. nuncupatur. Hic eoim cum Melito poeta, & Lycone oratore illum reum egerunt, quaſi male de Diis ſenſiſſet. Alia ab aliis accuſationis capitá referuntur. Invidia & calumniis oppreſſum conſtat: *Quem vero publice damnarat Athenienſium Civitas; publice luxit:* atque in eius accuſatores indignationem & ultionem convertit; ut ſcribit S. Auguſt. *de Civit. lib.* VIII. *cap.* 3. Vid. Lactant. *lib.* V. *cap.* 15. Platon. *Apolog. Socratis*, Apul. *de Aſ. aur. lib.* X. Athen.

lib.

Quod contra ingenium jactant, animumque puſillum,
Qui mortem, mortiſque metum cane pejus, & angue
Vitant, & pavido memorantes corde tremiſcunt?
De contemnenda nobis qui *morte* libellos
Tot ſcripſit Cicero, metuens ex Urbe fugit: qui
Si dedit hinc caput, invitum Libitina ſequuta eſt (1).
Lip. Sed tu quos inter, Juli, numerarier optas?
Audes, an metuis? (*Jul.*) *Medium tenuere beati*:
Nec vilis timui, nec ſum temerarius auſus (2).
Hac ego de cauſſa mecum nonnulla notando,
Quæ noſtræ cives peccant audacius urbis;
Extimui patriæ, morumque miſertus, & urbis
Sum ſæpe, at fruſtra; cauſſaque hac mœſtus ab urbe
Paullum diſcedens, loca ſic impervia adibam.
Nonne etenim dixi, me alias nonnulla cachinnis
Addere velle tuis de *Venatoribus?* Inde
Hæc mecum reputans, menti tunc altera venit
Venandi ſpecies, multi qua crimine certo
Se exercent cives, laqueis qui turpia captant,
Quique domi, & villa, quin templis retia tendunt,
Ut cadat in teretes ac tenſos femina funes,
Et male conceſſis repleant præcordia furtis.
Hinc captatorum tibi ſi venatio viſa eſt,
Qua ſons inſontem non raro indagine cingit;
Hæc mihi vel ſimilis viſa eſt *Venatio*, turpi
Dum teneras cives ſectantur Marte puellas (3).
Immo, crede mihi, tam perniciofior hæc eſt
Venandi ſpecies, quantum impunitior illa.

Nec

lib. XIII. &c. Et Cic. *Tuſc*. I. *num*.71. *Socrates*, inquit, *impiis damnatus ſententiis . . . . Quum iam in manu mortiferum illud teneret poculum, loquutus ita eſt, ut non ad mortem trudi, ſed in Cælum videretur aſcendere*.

(1) M. T. Cicero anno 64. ætatis ſuæ interfectus eſt iuſſu M. Antonii Triumviri ab Herennio, & Popillio prope Capnam, quum a villa ſua ad mare in lectica deferretur. Sic habetur in eius vita a Tirone Tullio eius liberto tribus voluminibus ſcripta, in Plutarcho, & noviſſime in clariſſimo Conyers Middleton.

(2) Et hæc quidem vera Sapientia eſt. Teſte enim Horat. *Epiſt*. XVIII. *lib*. I. *ver*. 9.

Virtus eſt medium vitiorum, & utrinque reductum.

[3] Optime ad hæc Ulpian. *Aliud eſt appellare, aliud ſectari. Appellare eſt, blanda oratione alterius pudicitiam attentare: aſſectatur, qui tacitus frequenter ſequitur: aſſidua enim aſſectatio præbet nonnullam infamiam*.

Nec quod ſic dico factis reſponſat: ad unguem
Exitus acta probat. Nam dic: *Silvatica* quonam
Exequitur pacto, aut armis *Venatio?* Nempe
Aut *fovea*, aut *igne*, aut intextis ordine *pennis*,
Aut *jaculo*, aut *canibus*, ſimili vel ſorte *ſagittis* (1).
His tamen, aut aliis rationibus auctus in arte
Sectator dominas urget, ſequiturque fugaces.
Nam ſi Marſæus, Nomentanuſque, vel alter
Canidiam, aut Saganam (leporem venator ut alta
In nive ſectatur) cupiat; ſibi tela duello
Apta parat, manibus veniat quo bellua. Namque
Dum mulier celſi furtim petit ardua collis,
Gramina vel poſcit, pelagi vel litora, in ædem
Aut ſacram tendit feſtivo tempore (2): jam tum
Callidus in ſeipſo totus teres atque rotundus
Venator circum vertit veſtigia: ocellis
Nunc vibrat *jaculum*, celeres nunc ore *ſagittas*:

[1] *Quatuor maxime Venationum genera fuiſſe comperio: Silvaticam, Perſicam, Avium prædatricium, & Amphitheatri.* Silvatica, *fovea*, *igni*, *pennis in lineam contextis*, *canibus*, *venabulo*, *iaculo*, *ſagitta conficitur* &c. Iul. Cæſ. Buleng. *de Venat. Circi*, *& Amphit.* apud Græv. *Antiq. Rom. tom.* IX. *cap.* II. De fovea Lucret. *lib.* V.

Nam fovea, atque igni prius eſt venarier ortum,
Quam ſepire plagis ſaltum, canibuſque ciere,

Foveas intellige aſſeribus, virgultis, aut paleis tectas, in quas prædæ ſpes feras trahit. Sed generoſius venabantur, qui venabulo, aut iaculo feras appeterent, qualis Atalanta fuit, Meleager, & Lacones, qui omnium primi venabulis uſi ſunt. Gratius *de Venatione*, de decreto Lacone:

Ille etiam valido primus venabula dente
Induit.

Quare Dorica venabula Martiaſis Laconica vocat *de Spect. Epig.* XXIII.

Dorica quum certo venabula dirigit ictu.

De ſagittis illud e Virgilio apponam *lib.* I. *Æneid. ver.* 322.

Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum
Venatrix.

Et Cornelius Nep. *lib.* II. *Daretis*, ſi tamen eius eſt:

Ocyus exciet qui caſſe, vel ore, vel aure,
Fraude, ſono, ſenſu, ludentes prælia, caſſe
Fallunt, ore cient, veſtigant aure, ſimulque
Invadunt ſaltus.

[2] Effrenatæ homines audaciæ ſacra profanis minime ſecernentes templis etiam ad inſidias pudicitiæ inſtruendas abutuntur. In quibus eiiciendis neſcio quæ de funiculis flagella requirantur: quum illud *Matth. c.* XXI. *v.* 13. ignorent, aut potius ignorare velint: *Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* *Et Sophon* c. I. v. 9. *Et viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa; qui complent Domum Domini Dei ſui iniquitate, & dolo.*

Mollibus hinc verbis conteſtos excitat *ignes*,
Et prope jam totam properant ſuſpiria prædam.
Quod ſi ſtat mulier tigris veluti, atque leæna,
Ac venatorem vexat, foribuſque repulſum (1)
Profundit gelida; nova corripit arma, feroſque
Subjectat laſſæ ſtimulos, verſatque negantem.
Sed quo? Num ſtrictis iterum ſævire flagellis
Cogitur, aut telis? Non pol: Victoriam adurget
Demiſſis *canibus*, fœdis lenonibus, inquam,
Qui vadunt, redeunt pacta mercede: ſed ille
Ditior evadit, melius commiſſa ſibi qui
Matronæ retulit; quo ſit ſententia verax:
„Non ſibi, ſed domino venatur vertagus acer.
Quod ſi Penelope frugi eſt; ſunt munera præſto:
Hæc arma ad bellum; his mulier ſibi victima cedet.
Nonne etenim crebro contextis bellua *pennis* (2)

In-

---

[1] Appoſite Hor. *Sat.* VII. *lib.* II. *ver.* 89. & ſeqq.

. . . . . . Quinque talenta
Poſcit te mulier, vexat, foribuſque repulſum
Perfundit gelida: rurſus vocat. Eripe turpi
Colla jugo. Liber, liber ſum, dic age. Non quis &c.

Et opportunius *id. Sat.* III, *v.* 258. & *ſeqq.*

Porrigis irato puero quum poma, recuſat.
Sume, catelle; negat; ſi non des; optat. Amator
Excluſus qui diſtat? Agit ubi ſecum, eat an non,
Quo rediturus erat non arceſſitus, & hæret
Inviſis foribus. Nec nunc, quum me vocet ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Excluſit, revocat, redeam? non ſi obſecrat. Ecce
Servus non paullo ſapientior &c.

Vid. Terent. *Eunuch.* *Sc.* I. Perſ. *Sat.* V. *ver.* 171. & alios.

(2) Lucian. *lib.* IV. de linea variis avium pennis contexta, quam *formidinem* appellant, hæc habuit:

. . . . . Sic dum pavidos formidine cervos
Claudat odoratæ metuentes aera pennæ,
Aut dum diſpoſitis attollat retia varis,
Venator levis ora tenet clamoſa Moloſſi.

Varos vocat *ſtipites*, quibus retia plagæque inſidiis aptantur. Omnium optime *formidinem* expreſſit Nemeſianus in *Cyneget.*

Linea quin etiam magnos circumdare ſaltus
Quæ poſſit, volucreſque metu concludere prædas,
Digerat innexas non una ex alite pinnas.
Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur,
Dat Libye magnarum avium fœcunda creatrix.

Et Virg. III. *Georgic. ver.* 372.

Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ.

Incidit in laqueum? Matronæ ſic quoque *pennas*
Dorrat amans albas, nigras, virideſque, rubraſque,
India quas mittit: dat crines, quo caliendro
Sincyput exornet, vel quo compagibus altum
Ædificet caput, & ſurgat ſic vertice collis.
Sic Venatores non armis, munere diras
Inficiunt tigres: alienas munere tendunt
Permolere uxores; quarum ſi defuit una,
Cui primum venas inflaret tetra libido;
Hanc movet auratæ veſtis, ſtudiumque peculi.
Sic juvat inſanos collecta pecunia cives (1)!
Quid ni? Nonne etiam per ſilvas bellua *panno* (2)
Decipitur, rapitur, faciliſque obvolvitur? Arma
Sic eadem mœchus bellandi corripit, ut ſic
Decipiat, rapiatque feras, palmamque reportet.
Verum opere in tanto famulæ, nutricis, anuſque
Eſt operæ pretium ſuccurrant munera & artes (3).
Sæpe, nec ignoro, tenues fabricata per auras
Caſtella, & lubrico ſubſtructas pulvere turres
Vel famula, aut nutrix calido demonſtrat amanti:
Attamen interdum ſecum partita lucellum,
Majoriſque ſimul doni ſpe ducta; nepoti
Exhibet audaci, vix quæ conceſſa marito.
Namque vafra: heus tu, inquit, numorum ſi mihi centum,
Auratam & *veſtem* dominæ promittis, & offers;

 Cer-

(1) Horat. *Sat.* V. *lib.* 2. muneribus expugnari ſæpe caſtitatem notat. Quare ſic. *ver.* 81. ait:

Sic tibi Penelope frugi eſt: quæ ſi ſemel uno
De ſene guſtaris, tecum partita lucellum,
Ut canis a corio nunquam abſterrebitur uncto.

Sic etiam illud: Ovid. *Amor. lib.* III. *Eleg.* 9.

Jupiter admonitus nil eſſe potentius auro.
Corruptæ pretium Virginis ipſe fuit.

Vid. Horat. *lib.* III. *Od.* 16. Valer. Max. *lib.* VII. *cap.* 2. Iuſtin. *lib.* VIII. & IX. Oros. *lib.* III. *cap.* 12. Plutarch. *in Æmilio* &c.

[2] In feras, ut capi poſſent, *veſtes* etiam injiciebantur. Sic Lucan.

Veſtibus iratos lanis operire Leones.

[3] Nihil lenocinio peius, nihil lenonibus obſcœnius. *Ulp. l. athleta, ff. de his, qui not. infam.* Lenocinium facit, qui quæſtuaria mancipia habuerit, ſed & qui in liberis hunc quæſtum exercet. Ita Cic. *poſt. Red. Qui egeſtatem domeſtico lenocinio ſuſtentavit.* Terent. *Adelph.* 2. 1. 34. *Leno ſum pernicies communis adoleſcentium.* Vid. Plaut. *Rud.* 3. 2. 42. Priſc. *in* 4. *Iſid. lib.* 10. Iuſtin. *lib.* II. *cap.* 3. ceteroſque.

Cerniſne hæc vigili ſuſpenſa dioptra tigillo [1]?
Indicis haud totum properans immobilis umbra
Diſcurret gyrum, Phœbo currente; tuo quum
Perficiam facilem dominam, comitemque cerebro.
Quid procus inde? Lubens, quæ tu petis, en cito ſolvo:-
Accipe [datque aurum] poſthac dominæ bene ſutam
Adjiciam veſtem; modo ſic mihi fiat amica.
Hinc eſt quod latum complent tot ſerica callem
Amplificatarum tentoria matronarum [2],
Atque ſolum longo verrunt ſub ſyrmate. Sic fit,
Ut veſte, aut gemmis, aut pennis, aut caliendro,
[Ne rubro adjungam ſuſpenſa crepundia filo]
Incidat in foveam mulier: ſic vulnere capto,
Cum ſectatore hinc properat certamina: dumque
Fornice ſejuncto Saliorum culcitra rhonchos
Sponſo aurata fovet; conjux famam terit. Eheu
Quot Cæli, & Birrhi, venatoreſque Treboni [3],
Undique matronis tendunt ſua retia! Vos heu
Hinc fugite, o matres; certo ni crimine veſtram
Ire domum cupitis! Clauſtris retinete puellas;
Ne calido inde mares pugnandi robore ſepta
Perfringant adjecta feris: ſic inde nefanda
Deceptis creſcat laqueato infamia collo (4).

Lip.

[1] De ſolaribus horologiis hic intelligitur: non tranſiet ſcilicet dimidia diei pars. Sed legend. Plin. lib. II. cap. *69.* Martian. lib. VI. cap. *de Poſitione terræ* &c.

[2] Catilina apud Salluſt. *de Bello Catilin.* de potentia atque luxuria Romanorum, hiſce verbis quærebatur: *Quum tabulas, ſigna, toreumata emunt, nova diruunt, alia ædificant: poſtremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant: tamen ſumma lubidine divitias ſuas vincere nequeunt.* Quid autem? Nonne potiori iure, verborum tantum ordine commutato, de noſtris nos queri poſſumus, qui *ſummis divitiis libidines ſuas vincere nequeunt?*

(3) *Cælus*, *Birrhuſque* perditiſſimi luxuria iuvenes, qui ab Horat. *Sat.* IV. *lib.* I. *ver. 69.* omni facinorum audacia, necnon latrociniis infames notantur. De *Trebono* autem *ib. ver.* 14.

(4) Vanitates, & agendi libertas virgines ad licentiam alliciunt, impelluntque. Etenim ſi, teſte Auguſt. *lib. de Honeſt. Muli. cap.* II. *tom.* 9. *Inter omnia Chriſtianorum pia certamina ſola dura ſunt prælia caſtitatis; ubi quotidiana pugna, & rara victoria*; quanto magis pudicitiæ flos amittetur, ſi nulla honeſtatis cura adhibeatur? Hac de cauſſa Tertull. *de Cultu femin.* negat puellam, quæ velum abiecit virginem appellari poſſe, & putat illam ex hac dignitate decidiſſe, ſimul ac formam ſuam ab aliis conſpici paſſa eſt: *Denudaſti puellam a capite; & tota iam ſibi virgo non eſt, alia eſt facta.* Quid de agendi libertate? *Geneſ. cap.*

Lip. Hæc cui ſacra Deo dices certamina? (*Jul.*) Neſcis?
Quis laqueos præbet? (*Lip.*) Venus. (*Jul.*) Et quis tela? (*Lip.*)
Priapus.
Jul. Ergo hæc & Veneri, & turpi ſunt ſacra Priapo.
Lip. Quo pulcri majorum mores, quo inclyta famæ
Exceſſit ſpecies? Quondam ſine crimine patres
In ſilvis leporem captabant: nunc alienas
Impia gens hominum patulo cum crimine in urbe
Curat avernali ſectarier arte puellas.

SER-

cap.XXXIV. v.1.Egreſſa eſt Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius: quod quum vidiſſet Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam: & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem. Quid autem noſtris ex tanta licentia non accidet? Deploratur exitus: caſus non prævidentur: ſed poſt factum, nullum conſilium.

SERMO QUARTUS.

Plurima ex Mimis, veterumque Theatris tum Scriptores, cum Oratores omnes ad agendi elegantiam, leporemque ſermonis ſibi merito vindicabant. Sed longe plurima Auditores Spectatoreſque ad mores virtuteſque animi depravandas. Quare obſcœnitatem ac licentiam veterum Theatrorum prorſus eliminandam ac eiiciendam eſſe demonſtratur.

Tullius, & Cæſar.

Tul. Scilicet hæc noſtri, Cæſar, portenta Theatri (1)?
Tantaque te podii cepit, nitidæque libido
Orcheſtræ, ut viſis jaceas ſuſpiria ſcenis?
Hæc adeat tantum, qui nomine captus inani,
Non animos ſpectat, ſed corpora (2). Quid tamen haurit
Corpore de turpi auditor, niſi turpia? (*Cæſ.*) Tulli,
Quor-

---

[1] Ludi Scenici a iuventute Attica in pagis ac ſilvis inventi fuere. Ait enim Virg. *lib.* II. *Georg. ver.* 382. *& ſeq.*

Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Theſeidæ poſuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

Deinde (teſte Caſſiod. lib. IV. *Variar.* ep. 51.) in urbes invecti. Quare ab Atheneo lib. II. huiuſmodi ludorum initium Icario Erigones Patri conceditur, utpote qui vini uſum invenerit. Aliter ſenſit Varro, qui quum *Iuventus Attica circum vicos eſſet ire ſolita, & quæſtus ſui cauſſa hoc genus carminis pronunciaret, ἀπὸ τῦ κομμε, id eſt, a luctu, vel ἀπὸ τῶν κομων, hoc eſt, a pagis, & conventiculis ruſticorum* ludos hos nomen inveniſſe arbitratur. Aliter tamen ſentit Iul. Cæſ. Scalig. cap. I. de *Comœd.* & *Tragœdia*, quum ait: *Par Varronis lapſus: neque enim ut arbitratur, idcirco dictum putes, quia iuvenes quæſtus gratia vicos circumire ſoliti eſſent, in quibus fabulas recitarent. In vicis enim prius nota fuit, quam circumlata: Et profecto luſus quoque, quam quæſtus prior &c.* Hinc Comœdiæ atque Tragœdiæ, hinc Theatrorum uſus apud Græcos Romanoſque repertus.

[2] De antiquis tantum Theatris hic agimus. Quidquid autem ex antiquitate ſumitur deſcribendum, tanquam ſi nos præſentes eſſemus, agendum eſt. Hinc mirum non eſt, ſi nos (ſicuti Eccleſiæ Patres, qui non ſolum Chriſti fideles, ſed Gentiles etiam, quotquot poterant, a ludis ſcenicis deterrebant) veterum Theatrorum vitia reprehendimus.

Digitized by Google

Quorſum hæc? Res hominum ſi tu perpendis, abunde
Optima miſta malis multa invenies, ſimul inde
Peſſima miſta bonis. Vitio nec facta virorum
Sacra carent: Tantum fragilis natura repoſcit!
Tul. Si tamen hinc ſcenæ trutina penſantur eadem
Acta, modi, geſtus, cantus, ſaltatio, verba;
Dic, rogo, quid vacua præponderat utile lance (1)?
Cæſ. Optima multa quidem: Pangit ſua carmina Mimus:
Res geſtas ſcribit vario diſcrimine: ad ictus
Reddere ſcit ſonitus: dextra, nunc ille ſiniſtra
Dicta parat: flectit vocem, numeroque loquaces
Accumulat geſtus: promit riſuſque jocoſque:
Nec tantum lingua, populares corpore plauſus
Vindicat, & muto cedit victoria Mimo (2).
Tul. O bone! Jam paucis clauſa eſt ſententia verbis.
Dic modo quæ ſuperant; nec quæ ſunt viſa Theatris,
Atque audita ſimul, pudeat dixiſſe. Sed ipſe,
Si renuis, brevibus deſcribam crimina dictis.
Non ego Pacuvii, non Acci tempora curro (3),
Enni

---

[1] Buleng. de *Theatro* lib. I. cap. XLIX. ait: *Mimi, Pantomimi, & Ludii turpitudine, & flagitio ſcenam fœdarunt. Nihil enim ferme flagitioſum eſt,* (ait Salvianus *lib.*VI.) *quod in ſpectaculis non ſit. Illas verum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obſcœnitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum fœditates* &c. *Quo factum eſt, ut quum artem ludicram, ſcenamque totam in probro ducerent Romani, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, ſed etiam tribu moveri notatione cenſoria voluerint*, ait Auguſt. lib. II. *de Civit.* cap. XVII.

(2) Idem Buleng. loc.cit.cap.XLVIII. *Mimi honeſtiori loco fuere, quam planipedes (quamquam & ipſi plerumque obſcœni) quibus* ἠθολόγων *Græci appellationem attribuerunt, quia dicta, & facta hominum ita imitarentur, ut actionem ſuam gravitate ſententiarum iocis interpoſitis condirent.* Et Scalig. loc. cit. cap. VI. *Translata*, ait: *in Italiam argumenta adeo ſalibus ac dicacitate aucta ſunt, ut unus Publius univerſam Græciam ea laude ſpoliarit. Laberius autem elegantia, & ſermonis puritate etiam omne Latium provocavit. Tametſi Gellius aliquot vocabula, ut ſordida, notat. Horatius autem negat eſſe pulcra poemata: nam & veri Mimi proprium eſt quædam ſordida, ut affectet. At, ut ex ungue leonem metimur, legantur carmina, quæ recitat Macrobius: iis enim meliores non ſunt Horatii verſus illi, quibus ipſum non vult mirari. Profecto & acriore iudicio, & puriore eloquentia Divus Iulius, quam Horatius, adeo probavit illius dictionem, ut & equeſtri donaret dignitate* &c. Vid. Cicer. lib. II. *de Orat.* Ulpian. II. *Olynth.* Diomed. lib. III. alioſque.

(3) Quintil. lib. X. cap. 1. ait: *Accius, atque Pacuvius clariſſimi gravitate ſententiarum, verborumque ponderε, & aucto-*

Enni qui chartas mirati, & carmina Nævi (1);
Dicta nec Afranii (2), nec tu monimenta Menandri (3),
Atque ſales Plauti (4), Siculi nec tela Epicharmi (5):
Cetera nec volves annoſa volumina vatum,
Quos dudum Stygiis triſtis Libitina ſacravit,
Ut fœdos noſcas mores, & crimina ſcenæ.
Namque hi ſi multa cum libertate notabant
Mœchos, ac fures, interdum crimine nullo
Læſos; ſique palam recitabant nomina, & una
Veſtes, & voces, geſtus, & munera civis
Cum ſale carpentes, ſimulabant: denique lege
Tanta poetarum dempta eſt audacia; ſic ut
Quum vellet rurſus cives urgere Cratinus
Dictis, quæ quondam veterum comœdia fudit,
Morte luit pœnas pelagi ſubmerſus in undas (6).
Sed more hoc dempto, majori turbine pejus
Irrepſit vitium, gentis non ſola Theatri,

Ipſa

claritate perſonarum. Ceteris nitor, & ſumma in excolendis operibus manus magis videri poteſt temporibus, quam ipſi defuiſſe. Virium tamen plus Actio tribuitur. Pacuvium videri doctiorem, qui eſſe docti affectant, volunt.

(1) Nævius Ennio antiquior fuit. Cicero *in Bruto* ſic Ennium alloquitur: *A Nævio ſumpſiſti multa, ſi fateris; vel ſi negas, ſurripuiſti*. Vid. Horat. lib. IV. *Od.* 8. lib. I. *Satyr.* 1. lib. I. *Epiſt.* 1. Perſ. *Satyr.* VI. v. 10. Feſt. Nonium, Gell. Varron. &c.

(2) Quintil. de Afranio, inquit: *In togatis excellit Afranius*. Et Gell. lib. XIII. cap. VIII. Afranii carmen commendat, quum ait:

Uſus me genuit; mater peperit memoria
Sophiam me vocant Graji, vos ſapientiam.

(3) De *Menandro* Quintil. lib. X. cap. 1. *Vel unus diligenter lectus ad cuncta efficienda ſufficiat Menander: ita omnem vitæ imaginem expreſſit*. Et paullo poſt: *Atque is quidem eiuſdem operis auctoribus abſtulit nomen, & fulgore quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit.*

[4] *Plautus* hoc de ſe epitaphium feciſſe dicitur:

Poſtquam morte eſt captus Plautus
Comœdia luget, ſcena eſt deſerta.
Deinde riſus, luduſque, jocuſque & numeri
Innumeri ſimul omnes illacrymarunt.

Vid. Tull. *de clar. Orat.* num. 6. Horat. *Epiſt.* cit. & *de Art. poet.* &c. Floruerunt in antiqua Comœdia præter eos, quos ſupra memoravimus, Phrynichus, Theopompus, Archippus, Plato, Teleclides, Pherecrates, Stratis, Crates, aliique.

[5] De *Epicharmo* Tull. *ad Attic.* lib. I. *Epiſt.* XIV. *Vafer ille Siculus inſuſurrat Epicharmus cantilenam illam ſuam.*

[6] Scalig. loco pluries cit. cap. III. *Illud conſtat Cratinum ad priſtinam licentiam quum eſſet auſus reverti, βύκτας fabulam edidiſſe: unde illi contigit interitus. Ab illis enim, in quos fuerat invectus, captum ac vinctum, atque in mare proiectum, ea merſione imitatum eſſe nomen ſuæ fabulæ.*

Ipſa ſed ingentis fœdans præcordia Romæ.
Nam ſi vel rauco jugularit gutture voces,
Aut delicate cantaverit *Hiſtrio*: vel ſi
Plurima *Saltator* (1) finxit certamina, & illos
Hoſque refert pedibus mores hominumque Deumque,
Factaque non parce a Græcis detorta poetis;
Quot poſcunt modulis teneras vexare puellas
Adſtantes ſcenis, curſu varioque recurſu,
Nunc pede, nuncque genu flexo, nunc brachia celſo
Vertentes capiti, circum nunc lumina in omnes?
Hinc matrona potens, hinc albæ filia matris
Concipit obſcœnas agitato pectore flammas (2);
Ardet, amore furit, proprio nec parcit honori.
Quam melius rapida audirent epirhedia calle,
Murmure dum terram quatiunt! Quam rectius acres
Luſtrarent nulla currentes cæde caballos,
Auriga urgentem manibus quatiente lupatum!
Quid pejus reputas ſcenis effingere *Mimos*?
Protheus haud tantas fingit verſo ore figuras,
Nunc aprum, modo avem, modo ſaxum corpore præbens,
Quot formas Mimus, mutatis ordine larvis
Induit. At formam quacumque admiſerit; audax,
Ut fœdo lubet ingenio, fœdiſſima ſpurcis
Verba canit dictis, vix quæ Tongillus apertis
Diceret in triviis: & nunc cataphractus in orbem
Erigit audaces vultus, oculiſque procatur
Pulpita, quæ nuribus fulgent exculta Latinis;
Et nunc matronas urget, patreſque, duceſque,

 Nec

[1] De Hiſtrionum cantu, variiſque Saltatorum choreis fuſius clariuſque egit. Iul. Cæſ. Buleng. *lib.* II. *de Theatris* apud Græv. *Antiqu. Græc.* vol. VIII.

[2] Tacit. lib. XIV. *Non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento, quominus Græci Latinique artem exercerent, uſque ad geſtus, motuſque non viriles*. Hinc & feminæ illuſtres deformia meditatæ. Quare Auguſt. lib. II. *de Civit.* cap. VIII. & IX. ait: *Comœdiæ nunquam probare ſua flagitia Theatris potuiſſent*. Et Iulian. *in Miſopogone*: *Non poteſt domi temperans eſſe, & caſtus, qui publice incontinens & impudicus eſſe vult, e Theatris voluptatem captans*. Vid. Arnob. lib. IV. Tertull. in *Apologet.* cap. XV. Theophil. ad *Autolycum* lib. III. Sidon. lib. III. Epiſt. XIII. Chryſoſt. Homil. *de Saule*, Auguſt. lib. II. *de Civit.* & ceteros.

Digitized by Google

Nec ſua virginibus parcunt fera tela Sabinis (1).
Caſ. Num tu prudenti damnas ſpectacula rhoncho;
Aut me tu veri deludis imagine? Namque
Si vatum verbo (ut verbis vatum utar iiſdem)
„Ille per extentum funem mihi poſſe videtur
„Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
„Irritat, mulcet, falſis terroribus implet;
„Ut Magus, & modo me Thebis, modo ponit Athenis (2):
Nonne magis Mimis requirenda hæc, fabula recte
Poſſit ut adſtricto percurrere pulpita ſocco?
Et quid? Nonne tuus mos eſt certamina Roſci
Cernere, & hos geſtus illoſque imitarier, atque
Tam doctum ſtudio ac verbis extollere Mimum (3)?
Tul. Magna inter Mimos cedunt diſcrimina. Namque
Pauci rem graphice ſcribunt: pars major inepte
Ventoſam fallit patulo cum crimine plebem.
Hos hercle, haud illos cenſoria virgula carpit;
Indeque ſunt geſtus capienda exempla loquacis.
Quid vero? An nunquam recto ſtat fabula talo,
Ni pleno Mimi ructent obſcœna palato
Nomina? Crede mihi: in loculos demittere tantum
Quiſque petit numum: mores, nec cetera ducit (3).

Sed

[1] De antiqua ſcilicet hic agitur obſcœnitate Theatri. Livius enim lib. II. ſic ait: *Eo anno Romæ quum per ludos ab Sabinorum iuventute per laſciviam ſcorta raperentur.* Quid enim non inhoneſtum addiſcent virgines in Theatris, quum omnia ſint inhoneſta? Buleng. enim adducens Cypriani verba epiſt.CIII. ſic ait: *Agentium in ſcena ſtrophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, ſcurriles iocos, paraſitos ſordidos, ipſos quoque patresfamiliae togatos, modo ſtupidos, modo obſcœnos, in omnibus ſtolidos, certis nominibus inverecundos. Superinducetur homo fractus omnibus membris, ac vir ultra muliebrem mollitiem diſſolutus, cui ars ſit verba manibus expedire, ut deſaltentur fabuloſæ antiquitatis libidines.*

(2) Horat. verba lib. II. Epiſt.I. ver. 210. & ſeq.

(3) Quanti Cicero Mimos fecerit facile colligitur ex I. *de Natura Deor.* I. *de Divin.* I. & II. *de Orat.* & *Or. pro Archia.*

[4] Horat. mox cit. ver. 170. & ſeq.

. . . . . Adſpice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut inſidioſi:
Quantus ſit Dorſennus edacibus in paraſitis:
Quam non adſtricto percurrat pulpita ſocco.
Geſtit enim numum in loculos demittere; poſt hoc
Securus, cadat, an recto ſtet fabula talo.

Iure igitur *Auctores omnes cum ſacri, tum profani ſpurcitiam ſcenæ exagitant, non modo quod fabulæ obſcœnæ in ſcena age-*

Sed majora tamen præbent ſpectacula *Mimæ*.
Nam ſi quæ fuerit pulcra, aut audacior; omnes
Jam currunt equitum turmæ, peditumque catervæ;
Jam proceres adeunt, commendandique tribuni:
Non etenim his tantum gaudet plebecula ludis.
Quid Mimæ interea? Vibrant ſua ſpicula ocellis;
Cantu tela parant; geſtu dant vulnera; dictis
Exitium properant ſpirantis legibus Urbis,
Et bene moratam trucidant chromate pubem (1).
Tu tamen hæc nobis imitanda poemata dices?
„Saturnalicio potius dicteria plauſtro
„Audirem, quoties fictus caſtrator Apella,
„Mendacique fluit veſſica hædina cruore,
Quam patiar fœdas recitantes cernere Mimas.
Quid ſi *Saltatrix* pertingat pulpita? Proh Dj!
Non hæc ſunt ſcutica, duro ſed digna flagello.
Nam pueri ut peccant, peccat ſic illa (2): libenter
Detegit illa pedes: Tantumne hæc? Crura, lacertos:
Cetera vix tenui velum bombyce tuetur,
Vixque ſuum ſervat mulier braccata pudorem (3).
Quid poſthac? Proceres gradibus, tigniſque ſuperbis:
O bona, proclamant: reſonant tabulata Theatri,
Unaque nobilibus vox, & cerdonibus una:

 O bo-

agerentur, ſed etiam quod motus geſtuſque eſſent impudici: atque adeo proſtibula ipſa in ſcenam ſæpe venirent, & ſub ſcena proſtarent. Unde & obſcœnum ait Varro, quod nonniſi in ſcena palam dicitur: Sic Buleng. *ibid.* Vid. Salvian lib. VI. Tertull. in *Marcion.* lib. I. ceteroſque ſupra cit.

(1) Quare hæc addit Lactantius *Epitom.* cap. IV. *Quid ſcena? in qua comœdia de ſtupris, & amoribus, Tragœdia de inceſtis, & parricidiis fabulatur?* Et lib. IV. cap. XX. *In ſcenis comicæ fabulæ de ſtupris virginum loquuntur, & amoribus meretricum; & quo magis ſunt eloquentes, qui iſta flagitia finxerunt, eo magis ſententiarum elegantia perſuadent.* Impudicitia igitur Theatri damnata. Legendus Hieronym. *Epiſt. ad Marcell.* & *in Hilarione*, Tertull. *de Spectac.* Cyrill. *Catech.* I. Chryſoſt. in Epiſt. I. *ad Corinth. homil.* XII. Baſil. *homil.* IV. *in Examer.* & alii.

(2) Chryſoſt. mox cit. *Theatra congregant, & meretricum cohortes illuc inducentes, & pueros pathicos, qui iniuria ipſam naturam afficiunt.* Et ibid. *Quid ergo illos inducis cinædos, & exoletos? Neque ſolum inducis, ſed etiam infinitis, & ineffabilibus muneribus honoras, & ut in benefactores communes urbis, in eos pecunias impendis, & publicis ſumptibus ipſos alis.*

(3) In hac re legendus eſt Procop. in *Anecdotis*: Hinc Seneca Florales ludos nudandarum meretricum vocat: Id autem fiebat dato tubæ ſigno, ait Lactant. lib. I. *Inſtit. cap.* 20. Iuven. *Sat.* VI. *ver.* 249.

. . . . . digniſſima prorſus
Florali matrona tuba.

O bona, prome tuas ſaltando corpore vires!
Heu repete, atque oculis choreæ miracula pande!
Proh ſcelus! heu facinus! mos heu turpiſſimus Urbis!
Exeat adſtrictis captiva novacula thecis,
Illico ut excedat maribus petulantia. Namque
Ipſi venales cogunt ad turpia Mimas (1).
 Et tamen hæc ſcito faciunt, nec juſſa nefando
Crimine quippe carent. Nam cur, præſente Catone,
Non audet populus nudatas poſcere Mimas?
Scilicet extimuit, patefacto hoc crimine, naſum
Cenſorem morum: Peccat non inſcius ergo (2).
Inde fit ut dudum criſpis virguncula vittis,
„Quæ catulos, feleſque mares tetigiſſe vetatur,
„Dimidioque patrem, fratremque ſalutat ocello,
Sentiat inſtantes citius ſub pectore flammas.
Inde ſimul juvenis, tandem cuſtode remoto,
Fœdo prava parat genio, cupidoque puellas
Obtutu comedit, torto cum lumine vibrat
Spicula, & a nulla tranſit ſine cæde feneſtra.
Et qui vix didicit mammamque, tatamque vocare;
Jam doctus tenero balbutit gutture fœda.

Hinc

(1) Lactant. mox citatus, ſic ait: *Celebrantur illi ludi cum omni laſcivia. Nam præter verborum licentiam, quibus obſcœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam veſtibus, populo flagitante* &c. Hinc Auſonius:

Necnon laſcivi Floralia læta Theatri,
Quæ ſpectaſſe volunt, qui voluiſſe negant.

Cenſule quid de hac re ſentiat Probus in præfatione *de Viris excellen.* & leg. Prætoris verba, in Pandectis tit. *de iis, qui notantur infam.* & Tacitum Dial. *de Orat.* Auguſtinum lib. II. cap. X. *de Civit.* Arnobium lib. VII. *adverſus Gentes.* Cod. l. III. tit. XLI. l. III. &c.

(2) Iſidorus lib. XVIII. *Origin.* ait: *Ideo lupanar dicitur, quia floralibus, & ceteris ludis a lupanaribus in Theatra migraretur*, teſte Arnobio lib. VII. Quare Iuſtinianus *Novel.* CV. ſcenam vocat πόρνας. Valerius Max. lib. II. *Marco Porcio Catone ludos Florales, quos Meſſius Ædilis faciebat, ſpectante, populus, ut mimæ nudarentur, poſtulare erubuit.* Hac de re Martial. lib. I. Epig. III. ſubdit:

Noſſes jocoſæ dulce cum ſacrum Floræ,
Feſtoſque luſus, & licentiam vulgi,
Cur in Theatrum, Cato ſevere, veniſti?

De proſtibulis hiſtrioniam agentibus legendus Seneca Epiſt. XCVIII. quin & Varro lib. I. *de re Ruſtica* cap. XIII. Plin. lib. XVIII. cap. XXIX. Ovid. IV. *Faſt.* Gell. lib. X. cap. XIII. Lactant. lib. I. *de falſa Relig.* cap. XX. Nonius, & Fortunatius lib. II. *Artis Rhetoricæ*, qui monet, Catonem librum ſcripſiſſe *de Re Floria* concila Oratione, ut indignationem Magiſtratuum in Florales excitaret.

Hinc merito Veneri, merito turpiſſima Baccho (1)
Sacra hæc majores voluerunt ludicra. Nam quid
Aut frugi, aut caſti gemino hoc de Numine? Ad hæc quid
Cæſar, ais? (*Cæſ.*) Tanta mea non ſententia luce
Diſcrepat: Et ſi quid me vis ſimul addere, dicam,
Inde fuiſſe patrum ſollemni ex ordine cautum,
Ludicra ne quiſquam exerceret fœda Senator;
Neu foret in ſcenis mimus, leno, paraſitus,
Hiſtrio, ſaltator; nec turpi cetera more
Diſcinctis ageret digniſſima munia ſcurris (2).
Inde etiam gravibus ſancitum legibus, ut ne
Filia patricii, vel neptis fœdera ſacri
Unquam connubii cum mimo ferret; & in fas,
Hæc ſi junxiſſet, merito peccaſſe putari (3).
Contra, theatrales demens ſi exercuit artes,
Nonne poteſt merito liberto nubere? (*Tul.*) Sic pol,
Idque impune facit: quoniam dum ludicra fecit,
Familiæ, ac omni patrio jam ceſſit honori (4).
Sic gladiatori conjux data filia Romæ eſt;
Sic Davi ſanguis commiſtus ſæpe Metellis.
Quid plura? Ut miles ſummo in certamine, ſi unquam
Sponte ſua ſervum ſeſe ſubmiſerit hoſti,
Ipſe minor capitis morti debetur adeptæ (5);
Sic qui telorum, Martiſque oblitus, & Urbis
Mimorum voluit (facinus) ſectarier ore

Mu-

---

[1] Theatrum, ut loquitur Tertull. lib. *de Spect.* proprie Sacrarium Veneris eſt. Sed, teſte Buleng. *ib.* cap. XVI. & Libero convenit. Nam & alios ludos ſcenicos Liberalia proprie vocabant.

(2) Vitellius cavit, ne Senatores Equiteſque gladiatoriam, aut ludicram artem exercerent. Quare Quintil. *Declamat.* CCCII. ait: *Qui artem ludicram exercuerit, in* XIV. *primis ordinibus ne ſedeat.*

[3] Ii, qui ludicras artes exercent interdum ſervis, atque libertinis comparantur. Nec enim Senatoris filia, neptis, vel proneptis libertino, vel ei, qui artem ludicram exercuit legitime nubere poteſt.

[4] Senatoris autem filia, quæ artem ludicram exercuit, impune liberto nubit: lib. XLII. lib. XLVII. D. *de ritu nuptiar.*

[5] Paul. Iuriſc. *Tria ſunt*, inquit, *quæ habemus, Libertatem, Civitatem, Familiam. Quum tria hæc amittimus; maxima eſt capitis diminutio. Quum amittimus civitatem, & libertatem retinemus; media eſt diminutio. Denique quum libertatem & civitatem retinemus, familia vero ſola mutatur* (puta per adoptionem); *eſt diminutio capitis minima*. Ex his intelligitur cur ſervi non habere caput, nec diminui capite dicantur: quia nullum ſtatum habent, videl. neque libertatem, neque civitatem, neque familiam. Vid. Cœl. Rhodig. lib. XXV. cap. XXIII.

Munera perſricto, Libitinæ jura ſubibit (1).
Cæſ. Et merito: e noſtris nam quis cruce dignius extat,
Quam qui projectis inſignibus, annulo equeſtri,
Romanoque habitu; podio, gradibuſque Theatri
Mille ferens facies, ſcurræ ſpectacula præbet?
Tul. Adde ſupradictis, quod qui petit improbus actus
Alternos ſcenæ, auditor ſuat ille, vel actor;
Non famæ tantum, rebus fert damna, ſibique.
Namque emi faciles intrant ex urbe puellæ,
Acceditque nigris petulans meretricula vicis (2).
Quid das dum ſubito vendunt ſua corpora? Centum
Forte ais. I, felix! emiſti dedecus, ætas
Quod nuſquam longo delebit tempore, & omnis
Hinc te poſteritas Marſæum nomine dicet.
O toties ſervi, quoties hæc ludicra aditis!
O mores Urbis, converſaque tempora! Quare
Hæc adeat, Cæſar, tantum certamina, ſacras
Qui temnit leges, ſamamque coinquinat, & quem
„Non pudet in morem diſcincti vivere Nattæ (3).

LI-

(1) Miles æque puniendus eſt capite, ſi artem ludicram fecerit, ac ſi in ſervitutem ſe venire paſſus ſit: l. *quædam delicta D. de pœnis*. Vid. l. *famoſi ad l. Iuliam maieſtatis*.

(2) Statius lib. I. *Silvar.*

Huc intrant faciles emi puellæ.

Et Iſidor. lib. VIII. *Idem vero Theatrum, idem & proſtibulum*. Vid. Liv. lib. II. Plaut. *Caſſinæ*, & *Pœnoli* Prolog. Salvian. lib. VI. Victruv. lib. V. cap. III. Senec. Epiſt. VII. & LXXXIV, Columel. præfat. *ad Sylvin.* Cyprian. lib. II. Epiſt. II. *ad Donatum*, Minut. *in Octavio* ſub finem, Arnob. lib. IV. Clemen. *Pædag.* lib. III. cap. XI. Auguſtin. Epiſt. CXIX. *ad Ianuar.* & quamplurimos.

(3) Tertull. in *Apologet. Diſpicite*, ait, *Lentulorum, & Hoſtiliorum venuſtates, utrum mimos, an Deos veſtros in iocis et ſtrophis rideatis, mœchum Anubim, et maſculum Lunam, et Dianam flagellatam, et Iovis mortui recitatum teſtamentum, et tres Hercules famelicos irriſos*. Vid. Hieronym. in Epiſt. *ad Marcell. et Hilar.* Caſſiodor. lib. VI. Epiſt. XIX., & lib. I. cap. XX. Cyprian. epiſt. XXXVII. Ludovic. Fabric. *de Ludis ſcenicis*, ipſumque Buleng. cap. XVI. CLIX., & L. Et hæc de veteribus Romanorum Theatris, eorum licentia, & obſcœnitate.

LIBER TERTIUS

SERMO PRIMUS.

Philippi Nerii vita vel ex eo clariſſima reputatur, quod inter Urbis negocia, ac multitudine officiorum, intacta ſemper, reique publicæ utilitate refulſerit. Male creditur in urbanis negociis huiuſmodi vita degi poſſe, niſi eadem pietatis fulcra, ac remedia ſanctitatis adhibeantur. Quare ut Nerii ſanctitas, ſic varia vitia hominum, obtrectatorum præcipue, deſcribuntur.

JAm prima externæ noctis deceſſerat hora,
Ad me quum venit ſacrati Præſulis almus
Ipſe Nepos, *Siſti* proprio qui nomine dictus (1);
Atque: heus tu, dixit, quid ceſſas? Craſtina vates
Sacra dies cunctos in aperta colliget aula,
Carmina ut inſigni celebrent modulata Philippo.

Ohe!

(1) Neapoli in æde Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi *Thomæ Pacelli*, ampliſſimi Bovini Urbis Epiſcopi, viri profecto ſapientia, probitate, ac virtutibus omnibus exor-

Hæc mea (vera loquor) ſimul eſt ſententia. Namque
Non ego ſum vobis, qualis qui, ut moribus inſons,
Et pius, & ſanctus cunctis habeatur, ab extra
Demiſſum vultum, defixaque lumina terræ
Monſtrat, & hinc gravia, interdum pallentia membra:
Utque ſibi manibus procedens oſcula vellat,
Pillea lata gerit capiti, funditque loquelas,
Verbaque delapſum cælo ſpirantia Sanctum.
  At quæ vis animi, vel quæ conſtantia cordis,
Ut bene vivatur, media depoſcitur urbe?
Acta diu Romæ præclari vita *Philippi*,
Qui hic hodie muſa, aut ſaltem præſente Minerva,
Vatibus his doctis plena celebratur in aula,
Excludat longæ nos inter jurgia cauſſæ (1).
  Iſte quidem (quis enim obſtat?) facto & nomine ſanctus
Eximia probitate ſuam, plauſuque, fideque,
Non turpis lucri cupidam, non munere Bacchi,
Non iracundam, numi, nec litis amantem;
Sed caſtam, ſanctam, prudentem, denique cunctis
Hoſpitibus facilem, ornatam, ſine crimine vitam,
Quamque petit Paullus (2), duxit: faſtidia quamvis
Plurima ſuppeterent, vel quum fera jurgia gentis
Solveret, & domibus præberet munera pacis;
Vel quum cuſtodes templi ſacra jura doceret,

N San-

(1) Qui Philippum, qui alios ſanctiſſimos homines, ut bene in urbe vivatur, in medium, ceu teſtes, adducunt; cur eorumdem virtutes minime ſibi imitandas proponunt? *Nam ſæpe audivi*, ait Sall. *de Bello Iugur. n. 4. Q. Maxumum, P. Scipionem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere; quum maiorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animum accendi; ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſeſe habere; ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit.*

(2) Quæ enim in Epiſcopo, eædem in Sacerdote virtutes quodammodo requiruntur. Quare Paull. *ad Timoth. cap.* III. *Oportet ergo irreprehenſibilem eſſe . . . . ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum; non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui bene præpoſitum &c.* Et *ad Tit. cap.* I. *Oportet enim ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum; ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere &c.*

Sanciretque viris leges adſtantibus aris;
Aut quum multa manu privata negocia obiret,
Inſtrueret pueros, viduas leniret, amicos
Officio augeret, jucunda lege maritos,
Uxores, natos, patres conjungeret, atque
Mobilium mentes hominum firmaret ad unum (1).
Quæ tamen in variis, tantiſque in rebus agendis
Jam bene firmato tribuit medicamina cordi?
Quæ bene moratæ conceſſit pharmaca menti?
Ad galli cantum ſurgens, genuflexus ad aram
Orabat longum: crebris ſua membra flagellis
Vexabat: lumbos ferro cingebat: acerbis
Oſſa diu patiens reprimebat ſtricta catenis:
Sæpius & terra nocturno tempore ſtratus,
Cuncta Dei benefacta putans, atque hinc prece multa
Percutiens cellam (2), nunc viſus corpore ad auras,
Nunc mente eſt celſo, ceu ventus, tractus olympo.
Sed quæ tot cives degentes tempora vitæ
Urbibus in mediis, menti dant pharmaca? Quæve
Tot dubiis rebus præbent medicamina? Numne
Mente tegunt recta peragenda negocia civis?
Num cohibent animos? pœnis num membra laceſſant?
Quælibet officia aut privata aut publica, pace
Vel bello, aut extra aut intus, terraque marique,
Quo more & ſtudio, vel qua pietate teguntur?
Quo tandem cultu, aut qua relligione tuentur?
Eſto: nam paucis narratur fabula. Cunctos

Mos

(1) Omnibus ſcilicet religioſiſſimi viri muneribus ad unguem perſunctus eſt Nerius, quem profecto non fugiebat quid a S. Leone Papa *Serm.* II. *de Ieiunio X. menſ.* Fidelibus commendatur: *Studeamus viduarum defenſioni, pupillorum utilitati, lugentium conſolationi, diffidentium paci. Suſcipiatur peregrinus, adiuvetur oppreſſus, veſtiatur nudus, foveatur ægrotus: ut quicumque noſtrum de iuſtis laboribus auctori bonorum omnium Deo Sacrificium huius pietatis obtulerit, ab eodem regni cæleſtis præmium percipere mereatur*.

(2) Multæ quidem *cellarum* ſignificationes: hic autem accipitur pro ſacello, quod pars erat templi ſacratior, in quam ingredi cuivis fas non erat. Sic Cic. I. *Philip Armatos in cella Concordiæ incluſit*. Et Liv. ut ex Dionyſio conſtat: *Capitolinum templum tres cellas habuit, quarum media Iovi, dextra Minervæ, læva erat Iunoni ſacra*.

Mos novus invaſit nulla ſibi vivere lege (1),
Non æſtus animi audaces frænare, nec ullas
Cernere perſonas, caſus, loca, tempora, mores;
Efficiuntque diem noctem, noctemque diem; quin
Obſcœnum reputant ſacrum, ſacrumque profanum.
Rides? Cerne precor ſubtili nare puellam.
Vix pedibus regitur, data vix ſibi copia fandi;
Artubus ipſa tamen rectis bene fingitur, alvum
Obſtringit, lateri deflectit brachia, pectus
Allevat, & tenero (dictu miſerabile!) ab ungue
Obſcœnos tacitis animis meditatur amores (2).
Adſpice nunc puerum. Æternæ præcepta ſalutis,
Primaque vix didicit linguæ documenta paternæ;
Non tamen ipſe petit puerilis commoda ludi
Sumere cum ſociis, equitare & arundine longa;
Peſſima ſed fœdis eructat crimina verbis (3),
Quæ vult vi carpit, frendet, genitoribus obſtat:
Quodque magis peccat, choreis ſua tempora ſumit,
Plurima & adjungit puerili crimina ludo (4).

[1] Cic. *de Leg. lib.* II. *num.* 4. ait: *Hanc igitur video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum Mundum regeret, imperandi prohibendique ſapientia. Ita principem legem illam, & ultimam, mentem eſſe dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte eſt laudata. Eſt enim ratia menſque ſapientis ad iubendum, & ad deterrendum idonea.* Sublata igitur lege, quid penſi remanet Reipublicæ? Quare Cic. *ib. Sed vero intelligi ſic oportet, & hæc, & alia iuſſa, ac vetita populorum, vim habere ad recte facta vocandi, & a peccatis avocandi; quæ vis non modo ſenior eſt, quam ætas populorum, & civitatum, ſed æqualis illius, cælum atque terras tuentis, & regentis Dei.*

[2] Illud repetam Horatii *Od.* VI. *lib.* III. quod noſtris temporibus aptius convenit:

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artubus
Iam nunc, & inceſtos amores
De tenero meditatur ungui.

[3] Vid. Quid alibi adnotavimus, præſertim *Sermone* IV. lib. II. pag. 92.

[4] Qui parum honeſte educantur ad inhoneſta maturius rapiuntur. Macrob. *lib.* III. *cap.* XIV. *In eo ludo* [ſaltatorio] *vidi plus pueris & virginibus quingentis: in his vero unum* [*quo me maxime Reipublicæ miſertum eſt*] *puerum bullatum petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis ſaltare: quam ſaltationem impudicus ſervulus honeſte ſaltare non poſſet.* Maiori itaque diligentia antiquitus pueri inſtruebantur. Sic. Virgil. *lib.* VII. *Æneid. ver.* 162. & *ſeq. de Latinis* ſcripſit:

Ante Urbem pueri, & primævo flore juventus

Exer-

Quod ſi forte viri trutina penſantur eadem,
Omnia clara ſatis: non eſt quod multa loquamur:
Pejerat in cunctis (1), perfricto denegat ore
Cognita vera aliis, Cereris commiſſa nefande
Sacra ſibi pandit, verbis offendit amicos,
Sæpe fidem frangit, Venerem ſibi poſcit, avitas
Res omnes chartis nocturno tempore perdit,
Et violat fœdus, leges, homineſque, Deoſque.
Quid referam vatum, obtrectatorumque catervas,
Dum læta pandunt aliorum crimina fronte?
Eſt mala gens hominum media de gente popelli,
Gens ignava, loquax, nullique addicta labori,
Quæ quum tuberibus propriis ignoſcat, acutum
Cernit in alterius verrucis, & ſale multo
Utitur, & cives mordax inquirit in omnes (2).
Ut tamen excutiat populari ex ore cachinnum,
Protinus inſurgit, ſalſaque aſpergine tinctus
Prodit fronte rigens, exporrectoque labello,
Corrugat nares, & dentibus infremit ardens.
Non ideo, pravis quod ſit fultus male talis,
Quod nimium demiſſus homo, gibboſus, ineptus,
Sordidus, aut vilem quod olet Gorgonius hircum,
Ridetur: tacitas damnoſa licentia culpas
Magna libertate notat; calamoque minaci

Vir-

Exercentur equis, domitantque in pulvere currus:
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, curſuque ictuque laceſſunt.

[1] Appoſite ad hunc locum S. Auguſtinus *lib.* III. *cap.* 1. *de Civ. Dei*. *Habuit etiam eorum grandem copiam, quos manus, atque lingua periurio, aut ſanguine civili alebat. Quid enim aliud toties Senatores corrupti in iudiciis, toties populus in ſuffragiis, vel in iis cauſſis, quæ apud eum concionibus agebantur, niſi etiam peierando peccabant? Nam corruptiſſimis moribus ad hoc mos iurandi ſervabatur antiquus, non ut a ſceleribus metu religionis prohiberentur, ſed ut periuria quoque ceteris ſceleribus adderentur.* Vid. Sall. *de Bello Catil. num.* 14.

(2) De hac poetarum licentia nominatim in Theatris aliorum vitia palpantium fuſius diximus *Sermone ult. lib.* II. *de Obſcœnitate, et licentia veterum Theatrorum*. Sunt autem etiam quidam, qui non in ſcenis, ſed in privatis publiciſque colloquiis aliorum vitia, ſuis etſi maioribus parcentes, diligentiſſime perſcrutantur. Quid autem Horat. *Sat.* III. *lib.* I. *ver.* 73. *et ſeq.* ait?

Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Poſtulat; ignoſcat verrucis illius. Æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.

Virtutes etiam crebro culpantur honeſtæ (1)
Et nutu, & verbis: triviis dum tota morari
Vult ſatyra, ut plebis rictum deducat hiantis.
Nam quia peccati decuſſit fronte pudorem,
Turpibus exultat, gaudetque illudere vulgus.
Frigida cui tamen exudant præcordia culpa,
Plebis ad arbitrium deſcribi quum videat ſe,
Pallidus heu! macie toto perfunditur ore,
Tundit humum pedibus, vivos ſibi mordet & ungues.
  Luditur? aut rabies pelle eſt induta leonis?
Obtrectatori nam quæ recinuntur acerbo
Debita, ſed nigro plena hinc maledicta, veneno (2)?
Heus, qui aliena ſtudes mordaci lædere verſu,
Dic mihi, te ignoras? an tu vafer hic dare nobis
Verba putas ſub vulpe latens? Te vox tua fallit.
Vas raucum ſonat, atque emptoribus indiget, etſi
Sandaracha inducta rudeat. Namque adſpice quanto
Pondere turgeſcat lato tibi mantica tergo,
Major ut excedat, medio quam pectore rides
Pendentem alterius. Nigrum derideat albus,
Non furem Cacus, aut homicidam forte Procruſtes (3).
Integra ſi malus in patinis patrimonia vendis,
Pallidus a cœna dubia ſi ſurgis, ubi res

Et

[1] Obtrectatores quidem ſunt, qui non vitiis opponuntur, ſed virtutibus invident. Hinc Cic. IV. *Tuſc. cap.* 26. *Obtrectare vero alteri, aut illa vitioſa æmulatione, quæ rivalitati ſimilis eſt, æmulari, quid habet utilitatis? Quum ſit æmulantis, angi alieno bono, quod ipſe non habet: obtrectantis autem, angi alieno bono; quod id etiam alius habeat.*

[2] Qui ad iracundiam provocantur, ſæpe ſæpius par pari amant referre. Hinc obtrectatores pari iure obtrectantur. Sic Horat. *Sat.* III. *lib.* I. *ver.* 25.

Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis;
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rurſus et illi.

[3] Proverbium eſt, ne ſcilicet qui vitiis ſcatet alium reprehendat. Sic *Cacus*, qui Latium undique latrociniis infeſtabat, quique Herculis etiam boves noctu cauda in antrum ſuum traxit, a quo detectus clava tandem interfectus eſt, non debet furti alios accuſare (Vid. Virg. *lib.* VIII. *Æneid.* Liv. *lib.* I. *cap.* 7.); nec *Procruſtes* in latrones animadvertere, qui & ipſe inſignis in Attica regione latro, hoſpites cogebat in lectum aliquem aſcendere, quo ſi longiores fuiſſent, pars ſupereminens amputabatur, ſi breviores, vi extendebantur; qui denique ab Hercule etiam, ſive a Theſeo fuit interfectus. Vid. Ovid. VII. *Metam. ver.* 438.

Et multæ, & variæ ducunt faſtidia ventri (1),
Verbaque ſi Baccho tumidus modo turpia profers;
Qua paraſitorum illuviem per compita carpis
Fronte, oculoque? Senex tibi ſi majora remittis,
Quum mala per noctem ludentem te alea fallit,
Perdis opes, ſolidoſque dies, vitioque tabeſcis,
Dum tua flens lanas deducit pollice conjux (2)
Prompta miniſterio, vivens & pane ſecundo;
Me rides ludos ſortis, fatique dolentem?
Aſt homines neſcis. Quid quum de more per urbem
Curris, anus clamant, pueri, & vicinia tota:
Te petit hic cornu: quid non ſtas longius? heus tu
Latrantem demitte Lycum, demitte Melampum (3),
Aut laqueum collo male ſani innecte poetæ:

Ac-

[1] Facile credes varietatem ciborum homini eſſe noxiam, ſi modo velis meminiſſe, quam utilis eſca ſimplex, quæ in ſtomacho placide cocta, bono ſucco, atque, ut aiunt, chylo, repararit vires corporis: & e contrario quantum moleſtiæ tibi crearit eſca multiplex; quoties deglutiiſti ſimul aſſa cum elixis, carnes cum piſcibus, ova cum aliis &c. Macrob. *Saturn. lib.* VII. *cap.* 4. *et* 5. de hac re luculenter ait: *Qui ſimplicem cibum ſumit, facile quo ſucco eius corpus vel iuvetur, vel gravetur uſu docente cognoſcit: atque ita cuius cauſſa deprehenſa eſt, noxam facile devitat. Qui autem multiplicem, e diverſitate ſuccorum diverſas patitur qualitates: nec concordant humores ex materiæ varietate naſcentes, nec efficiunt liquidum purumve ſanguinem, in quem iecoris miniſterio vertuntur; et in venas cum tumultu ſuo tranſeunt. Hinc morborum ſcaturigo ex repugnantium ſibi humorum diſcordia*, &c. Hinc Seneca *Ep.* II. *Faſtidientis eſt ſtomachi multa deguſtare, quæ ubi varia ſunt et diverſa, non alunt, ſed inquietant et inquinant*. Et Plutarch. *Sympoſ.* 4. *Ciborum copia turbat, et corrumpit*. Et Cic. *Tuſc. V. n.* 100. *Quid quod ne mente quidem recte uti poſſumus multo cibo et potione completi?* Hinc Horat. *Sat.* II. *lib.* II. *ver.* 21. *et ſeq.*

. . . . Pinguem vitiis albumque nec oſtrea,
Nec ſcarus, aut poterit peregrina iuvare lagois.

Et fuſius *ver.* 76. *et ſeq.*

. . . . Vides ut pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis, animum quoque prægravat una,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Quadere cum Macrobio mox cit. concludendum: *Pulmentorum varietas recipit varia condimenta, quibus gula ultra quam natura neceſſe eſt, laceſſitur: et fit inde congeries, dum pruritu deſiderii amplius, vel certe de ſingulis parva libantur. Hinc Socrates ſuadere ſolitus erat, illos cibos potuſque vitandos, qui ultra ſitim famemque ſedandam producunt appetentiam*, &c.

[2] Quidquid delirant mariti, coniuges ipſæ plectuntur; quæ, conſumptis iam illorum vitio facultatibus, ut miſerrime ſaltem vivant, manuum opera cibum comparent, neceſſe eſt. Vid. quid in ſequenti *Sermone* de laborioſis ac prudentibus feminis adnotatur.

(3) *Lycus*, atque *Melampus* canum ſunt nomina. Vid. Ovid. *lib.* III. *Metamor.*

Accipies operis pretium: donaberis. Iſte
Nam furit, & ſepti valuit perrumpere clatros.
Sanguinei ut turgent oculi ſerpentibus Afris
Pejus, & Herculea redivivi corporis hydra (1)!
 Quid cauſſæ eſt, homines ut non det Jupiter iſtos
Fulmine præcipites? Neque enim his dedit eſſe poetas,
Caſtalias hauſtu fœdantes turpiter undas.
Non tamen inde putent illo ſe jure potitos,
Ut quemcumque velint, perſtringant carmine, civem.
Nam caveant, animis ne dum tam turpiter inſtant
Crimina in alterius, baculo cædantur in urbe (2).
 Quid nunc carminibus deſcribi femina poſcit?
Nil monſtro hoc pejus. *Varium & mutabile ſemper*
Femina: Virgilii ſunt hæc apophthegmata. Nec jam
Deceſſit vero. Hanc ſi contemplaris ad aram,
Proſpicies viſu placidam, pia verba loquentem,
Et cunctos cæli Sanctos, Divoſque vocantem:
Urbis ſancte Pater, terræ Regina polique,
Tu Deus omnipotens, Sancti omnes, tuque Philippe,
Parthenopi adſiſtens, lacrymantis perfice vota,
Da res propitias, rerumque incœpta ſecundes (3).
 Sed quæ vota, precor, quæ ſunt incœpta precantis;
Vertice ſi toto latis defixa feneſtris
Aut nutu, aut verbis permiſtos captat amantes?
Dimidium ſolis ſi jam, medicamina præſtans
Compta genis, ſumit, vel ſaltem unguenta capillis?
Quæ pietas; totis ſi tecto iraſcitur horis,
Percutit ancillas, pueros ſine lege faticat,
Ore fremit, ſpiſſis ululatibus omnia complet?

Quid-

[1] De maleſanis ac furentibus poetis conſule Horat. *de Art. poet.* ad finem.

[2] Quas pœnas luit Cratinus multæ dicacitatis poeta, diximus *in Serm. ult. lib.* II. *pag.* 88. Nemo enim non odit graphice vitia, quibus ipſe laborat, ab aliis deſcribi.

[3] Si male petitur, aut inutilia exoptantur, tunc hominum vota minime a Deo perficiuntur. Sic plerumque mulieres neſciunt quid petunt: ſæpius nulla animi æquitate petunt: ſæpiſſime iniquiſſima petunt. Quid autem? II. *cap.* I. *ver.* 15. *Quum multiplicaveris orationem non exaudiam*. lib. II. Machab. *cap.* 9. *ver.* 23. *Orabat ſceleſtus Dominum, a quo non erat miſericordiam conſequuturus*. Prov. *cap.* XXVIII. *v.* 9. *Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*. Denique Eccli. *cap.* XV. *v.* 9. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*.

Digitized by Google

Quidve petit Superos; ſemper ſi femina votis
Digna ſuis, animis haud imperat, improba culpas
Proſequitur, tanquam ſuccedat clarior illa,
Cui magis arrident eventu crimina dextro?
  Proh ſcelus! Iſta piæ cenſentur pharmaca vitæ?
Hæc adhibent gentes ſæcli medicamina rebus?
Heu repetant potius tenebroſæ condita ſilvæ (1),
(Si modo ſponte ſua hæc tolerant horrentia monſtra)
Queis bruti haud factum, tantum ſed nomina deſunt!
Sique volunt media vitam traducere in urbe,
Addiſcant primum mores, imitentur & inde
Virtutes omnes, & clari geſta Philippi (2).

SER-

(1) Sceleſti homines beſtiis etiam peiores exiſtimantur. Beſtiis enim, non ſceleſtis hominibus dictum eſt: *Laudate Dominum, dracones*. Quare Chryſoſt. *Hom. quando Præb. eſt deſignatus*, ſic ait: *Scorpii, ſerpentes, dracones invitantur ad laudandum Deum: ſolus peccator ab hac ſacra chorea excluditur*.

(2) Qui ergo male vixit (concludendum cum S. Greg. *Hom. XX. in Evang.* ante medium) *tanto a ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit et illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus boni operis eſſe debet eius, qui minus, et eius, qui amplius deliquit: aut eius, qui in nullis, et eius, qui in quibuſdam facinoribus cecidit, et eius, qui in multis eſt lapſus*. Et paullo poſt: *Uniuſcuiuſque conſcientia convenitur, ut tanto maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam*.

SERMO SECUNDUS.

Fruſtra Italiæ, & huius præſertim Civitatis homines nimiam veſtium vanitatem ex communi more, ac uſu defendunt. Amor enim non ad corporis ornamenta, ſed ad ſummum æternumque Bonum, ex Philippi Nerii exemplo, unice eſt dirigendus.

Ardet quiſquis amat: quin compelluntur amore
Mortales omnes (1). Namque uno hoc Numine ſemper
(Semine ne dicam tantum concreta virili)
Et plantæ, & pecudes, pelagique errantia monſtra,
Et pictæ volucres, & celſo e vertice ſtellæ
Vi quadam, nulla enarranda voce, trahuntur.
Ulmum vitis amat: capreas caper ardet olentes:
Cum cane nexa canis: ſerpens ſerpentibus hæret:
Pullus amat pullum, ſimili qui ductus ab ovo eſt:
Et piſcis ſimili productum ſemine piſcem.
Luna maris liquidas vix notis legibus undas (2)
Influit; hinc varii fluxus, pelagique refluxus:
Terra trahit lunam: terram ſol inde, planetaſque
Attrahit una omnes (quorum de more ſatelles
Nonnullos ſequitur) ſuetumque adducit in orbem.
Ergo omnes ardent, vis, nolis, pectore amantes.
Non tamen ardet amans ſubjectum ſemper in unum,

(1) De animantum amore, & mutua utriuſque generis cupiditate, ſupervacaneum eſt hic diſputare: pleni enim ſunt omnes libri, noſque natura ipſa docemur, quod *trahit ſua quemque voluptas*. De planetarum vero ad ſolem, & ſatellitum ad planetas gravitatione, de corporum attractione, motu, legibus, quæ omnia a poetis ad inſitas vires cupidinis transferuntur, conſule Newton., recenſioreſque omnes Philoſophos. Non enim ad inſtituti noſtri rationem arbitror pertinere, quæ poetice delibavimus, philoſophico etiam more pertractare.

(2) Charteſianorum hæc ſententia eſt, hic ad rem noſtram uſurpata, quæ fuſius legenda eſt apud Sigorgn. de varia corporum attractione, cauſſiſque pelagi fluxus producentibus.

Optimum & æternum, ſimile, & quod quippe ſecundum
Nunquam habuit, nec habet, nec habere ſibi poterit, ſi
Ordine completo decies centena reviſet
Millia ſol radians cælorum ſigna ſub axe (1).
Nam mala gens hominum crebro tabeſcit amando
Aut hoc, aut illud, quod dictu vix tolerandum eſt,
Quodque mage offendit mores, quam copia putens
Ægrum ſollicitat ſtomachum. Nec pauca nefando
Hoc vitio late vexantur litora. Namque
Hoc in Hyperboreis, hoc in Borealibus oris
Regnat, & adverſum late graſſatur in Auſtrum,
Occiduoſque agitat populos, nec parcit Eois.
At non illi omnes tam magno crimine peccant,
Quam qui divinis donati legibus, atque
In media Auſonia, & noſtra hac clariſſima in Urbe
A tenero urbanis nutriti moribus ungue (2).
Quid vero peccant hac tempeſtate, quid ardent
Parthenopes cives? Audi: ſum paucus. Iniqua
Jam cunctos inter cives ſententia ceſſit,
Illa ut conſumant cunctis impune diebus
Ornamenta, levi argento bene conſita & auro,
Anglia quæ præbet, noſtris quæ Gallia fervens
Litoribus mittit, quæque India, quæque laborant
Disjuncta a noſtris ſat longe litora terris (3):

Seque

(1) Horat. *Od.* XII. *lib.* I. ſic de Iove ſcripſit:
Quid prius dicam ſolitis Parentis
Laudibus, qui res hominum, ac Deorum,
Qui mare & terras, variiſque mundum
Temperat horis?
Unde nil majus generatur ipſo;
Nec viget quidquam ſimile, aut ſecundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

(2) Qui litteris erudiuntur, boniſque artibus, ac diſciplinis educantur, maioribus quidem poenis, ſi quid peccant, ſubiiciuntur: *Quo enim*, ait S.Greg. Homil. IX. in Evang. *augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum*. Unde eſt etiam illud Iuven. *Sat.* VIII. *ver.* 140.
Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat, major habetur.

(3) Creſcente luxu, ſubſidia decreſcunt Reipublicæ: nec exterarum gentium direptæ divitiæ ad animi cupiditatem explendam ſatis eſſe videntur. De quo etiam Cicero V. *in Verrem* queſtus eſt, quum ait: *Patimur enim iam multos annos, & ſilemus, ad paucos homines omnes omnium nationum pecunias perveniſſe. Quod eo magis ferre æquo animo, & concedere videmur, quia nemo iſtorum diſſimulat; nemo laborat, ut obſcura ſua cupiditas eſſe videatur. In urbe noſtra* pul-

Seque hac defendunt tantum ratione: quod omnes
Ingenui cives, quibus eſt equus, & pater, & res,
Illis fas uti eſt rebus, quas præbeat uſus.
Hæcque viris cunctis vox eſt, hæc omnibus una
Vox pueris, dominis, famulis, & patriciis hæc
Interdum ſenibus. Vix hinc inſiſtere planta
Cernuntur juvenes, fulget quibus aureus enſis,
Et capulo pendent intexta crepundia, ſic ut
Tinnitum reputes oricalco reddere lamnas:
Et velut e fragili premerent pede pocula vitro,
Incedunt leviter; nec jam ſinit ardua cervix,
Pilleus ut malas defendat ab imbre; nec albo
Inde carent humeri, ceu crines, pulvere; & arcta
Occludit pectus veſtis, preſſoſque lacertos (1).
Hæc *uſu* juvenes. Sed nemo crebrius iſtam
Uſurpat vocem patulis ſermonibus inter
Mortales, quam femina, quæ mutatur amando,
Ut mens mutatur; ductorem quæ ſibi nullum,
Præter creſcentis creſcentia cornua lunæ,
Jactitat, aut ſigna iratis pendentia ventis.
Quæ non cæcus amor rerum, pulcrumque videri (2)
Menti fœda jubet! Sibi quas non vindicat artes!
Hinc *uſu* Tyriis ſtipantur veſtibus: *uſu*
Brachia cum collo, nudataque pectora proſtant,
Atque notis præbent volitantes vertice telas:
Uſu poſt tergum tunicarum vincla relaxant,
Criſſantique jacet femini, femorique gemellus

pulcherrima atque ornatiſſima quod ſignum, quæ tabula pura eſt, quæ non ab hoſtibus victis capta atque aſportata ſit? At iſtorum villæ ſociorum fideliſſimorum & plurimis, & pulcherrimis ſpoliis ornatæ refertæque ſunt. Ubi pecunias exterarum nationum eſſe arbitramini, quibus nunc omnes egent, quum Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chium, Samum, totam denique Aſiam, Achaiam, Graciam, Siciliam iam in paucis villis incluſa eſſe videatis?

(1) Iuvenes, qui veſtiendi, agendique Gallorum morem affectant, novas in dies formas præſeferre non dubitant: finguntur artubus; pedum digitis ambulando reguntur; pilleiſque adeo parvis, dum res poſtulat, cooperiuntur, ut ne facies quidem ipſa ingruentibus pluviis defendatur.

(2) Ita quidem. Nil enim tam impellit in errorem, quam ſui amor. Hinc Tull. *ad Attic.* lib. XIII. Ep. XIII. *Niſi forte me communis* φιλαυτία *decepit.* Et de Offic. lib. I. num. 91. *Tales nos eſſe putamus, ut iure laudemur . . . . . quum homines inflati opinionibus turpiter irridentur, & in maximis verſantur erroribus.*

Aurato floccus contextus ſtamine; & *uſu*
Extenſas complent ædes, porrectaque templa
Syrmata ventoſis terram verrentia caudis.
Hinc quas proſpicies digna riſu, atque cachinnis,
Quaſque putant Tyrio venientes litore, formas?
Sic quæ Gallorum veſtem ſibi comparat; illa (1)
Gallica cenſetur. Capiti cui pilleus inſtat,
Vixque tegit medium veſtis crus; *Angla* vocatur.
Quæque regit circum tenui tentoria zona,
Et gemini pendent flocci laterique, retroque
(Mos modo qui invaluit); communi voce *Polona* eſt.
Quid plura? En mulier quæſita relinquere pernix,
Ut peregrina togæ, & pallæ portenta venuſtæ
Promat; mendacis recipit documenta magiſtri:
Hinc adit ornatas numo emungenda tabernas,
Atque nova ingenti ſumptu ornamenta, loquacis
Gentis ad arbitrium parat, & mutatur in horas (2).
Heu capita inſulſa! Anne adhibent hæc, quos imitari,
Et quos ſic ſtulte in vobis effingere vultis (3),
Sarmatiæ nimirum homines, Quadique, Getæque,
Et Marcomanni, quique accolit Helleſpontum?
Ergo ſi ſine lege illi peccant, incognita queis eſt
Speſque Fideſque Dei; pariter ſine lege peribunt:

Iſti

(1) Quem latent unquam tot tantæque togarum ſpecies, ac ridiculæ ſe vel ornandi, vel induendi rationes, quibus in Italia mulieres præſertim ſummopere delectantur? Hinc communis mos omnibus eſt, atque per ora omnium vox divulgata: *Veſtir all' Inclese, alla Franceſe, alla Polacca &c.* Quo quid ineptius dici poteſt, aut excogitari?

[2] Nova ſcilicet argumenta vanitatis undequaque mulieres perſcrutantur: & poſtquam ultimas terræ partes animo ſaltem penetraverint, nova etiam mercatorum arbitrio ſibi vindicant. Illud ad hæc Cicer. IV. in *Verrem* convenit: *Lugent omnes provinciæ, queruntur omnes liberi populi, regna denique iam omnia de noſtris cupiditatibus, & iniuriis expoſtulant. Locus intra Oceanum iam nullus eſt, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non per hæc tempora noſtrorum hominum libido iniquitaſque pervaſerit.*

[3] Exteræ nationes aut morem hunc veſtiendi nunquam habuere, aut ſi habent, illis eſſet relinquendus. Quid enim ipſe Cicero ait loco mox citato? *Etenim mirandum in modum Græci rebus iſtis, quas nos contemnimus, delectantur. Itaque maiores noſtri facile patiebantur, hæc eſſe quamplurima apud ſocios, ut imperio noſtri quam ornatiſſimi florentiſſimique eſſent: apud eos autem, quos vectigales, aut ſtipendiarios fecerant, tamen hæc relinquebant; ut illi, quibus ea iucunda videbantur, haberent hæc oblectamenta ſervitutis.*

Digitized by Google

Iſti ſi in legem peccant, quos morte Redemptor
Ipſe ſua refovet; per legem criminis æquam
Accipient pœnam. Nam *non auditor*, ut inquit
Paullus, *ſed legis qui factor, juſtus habetur* (1).
  Quid ſi virgo ſimul plenis jam nubilis annis,
Ipſa quidem veteres cupiat renovare rubricas?
Illico mille parat nugas, & inania mille
Exigui argumenta animi, vacuique cerebri.
Namque nova ut poſſit pupas imitarier arte,
Gallia in Œnotriam crebro quas mittit hiantem,
Poſtquam ſe texit Rhæteis veſtibus, ipſa (2),
Ipſa, inquam pariter vacuæ ſimillima matri,
Quæ medicare genas, & creſcere tempora crine
Jam didicit, gaudet facie ſuper addere nævum,
Formicam, & culices, puliceſque, & ſi volet, addet
Pediculum, fœdoque ſimul cum cimice muſcam.
Quid non imperioſa audet mulier! Tamen hiſce,
Quæ merito dices Satanæ de ſtercore nata,
Ornatur mulier, quamvis ſint ſerica, monſtris.
  Quid naſum haud præſtant, ſi tanta amentia cepit,
Dum lanii cultris vitulorum viſcera nudant,
Dum ſuibus rapiunt coſtas, mediuſque macello
Pendet bos? Vel cur quodcumque cadaver anhelis
Non tractant manibus, feleſque, caneſque necatos,
Monſtraque cum nigro manantia ſanguine tabem?
Hiſce etenim patinis muſcæ veſcuntur amatæ.
Sique cupit capiti ſcarabeum fingere gemmis;
Stercora decerpat, glomeretque, ut ſphærica fiant:
Stercore ſic trito ſcarabeus ludit in agro (3).

O uti-

[1] Paullus *ad Rom. cap.* II. *v.* 11., 12., & 13. *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur: Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur &c.*

[2] Facile eſt inventis addere. Hinc puellæ a parentibus omni vanitatum genere inſtructæ, ut corporis ornamentis aliquid etiam ſuppeditent, faciem ipſam, quæ a natura nullo deformitatis ſigno perficitur, fœdis maculis, monſtrorumque imaginibus deturpant. Felices ac nimium fortunatas muſcarum cimicumque catervas, quæ undique eiectæ, maledictæ, interfectæ, in ore ac fronte pulcherrimarum virginum domicilium ſibi vindicant optatiſſimum!

[3] Inſipientis eſt fictis etiam imaginibus ea imitari, quæ propter immunditiam

O utinam felix revolutis menſibus ætas,
Et tranſacta iterum remearent ſæcula, tum cum
Femina perdidicit conſtanti limite luxum
Frænare, & teneras proprio nutrire puellas (1)
Exemplo, ut fugerent quod non docuiſſet honeſtas!
Tunc etenim crines pectens ſibi femina, nunquam
Frænabat tenui fugientes ære capillos:
Non adamas rutilus, viridis non inde ſmaragdus
Ornabat turres, fictis & crinibus orbes:
Nec viſus juvenis muliebria tempora Gallus
Contrectare manu, nec pulvere ſpargere odoro (2):
Sed natam mater, genitricem filia caſtis
Ornabat manibus: ſic nodo vindice crines,
Aut levibus circum velabant tempora mitris.
Nec dicas Cælum labenti fulmine cunctos
Plectere, qui ſeſe peregrinis veſtibus ornant (3);
Atque Deum ab dominis nimio fulgentibus auro,
Atque oſtro, & gemmis, oculos avertere (4): Totam
Infe-

tiam & fœditatem odio haberi ſolent. Dum ergo mulieres muſcis inſectiſque, etiamſi fictis, delectantur; ea etiam, quibus monſtra ipſa paſcuntur, aut quibus immorantur, odiſſe non debent.

[1] Horat. *Sat.* VI. *lib.* 1. affirmat, multum ſe patri ſuo debere non tantum quod in litteris, quam quod in pudicitia ac honeſtate ipſum exercuiſſet: en verba:

Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? Pudicum
(Qui primus virtutis honos) ſervavit ab omni
Non ſolum facto, verum opprobrio quoque turpi:
Nec timuit, ſibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco parvas, aut (ut fuit ipſe) coactor
Mercedes ſequerer. Neque ego eſſem queſtus. Ob hoc nunc
Laus illi debetur, & a me gratia major.

(2) Ex nimia vanitate, ne dicam libidine, factum eſt, ut non, niſi hominum, Gallorum præſertim adoloſcentium, manu mulieres ſe pectere, aut exornari cupiant. Non ita pridem: ipſæ ſeſe mulieres, aut famularum auxilio exornabant. Sic Judith *cap.* X. *v.* 2., & 3. *Vocavitque Abram ſuam . . . . . & lavit corpus ſuum, & unxit ſe myro optime, & diſcriminavit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper capue ſuum, et induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextraliola, & lilia, & inaures, et annulos, et omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe.*

(3) Sophon. *cap.* I. *ver.* 8. *In die hoſtiæ Domini viſitabo ſuper principes, et ſuper filios Regis, et ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina* &c.

(4) Ezech. *cap.* VII. *ver.* 19. *et ſeq. Argentum eorum foras proiicietur, et aurum eorum in ſterquilinium erit: argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam ſuam non ſaturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia ſcandalum iniquitatis eorum factum eſt. Et ornamen-*

„Infelix operam perdas; ut ſi quis aſellum
„In campo doceat parentem currere frænis.
Hinc levitate recens imitatur filia matrem (1),
Et famula hinc dominam, quantum fas, exprimit; atque
Conjunctæ pariter nimium muliebriter omnes
Et dominæ, & famulæ, & teneris matrona puellis,
Sponſaque, vel plenis jam virgo nubilis annis,
Spectandi e duro præbent ſimulacra lapillo;
Et leges violant, admittunt crimina, faſque
Atque nefas miſcent, ceu miſcent ſacra profanis:
Mercedem ſervis, deſponſaque dona patronis
Fraude negant; magno capiunt cum fœnore numos;
Rem totam vendunt, & avitum cum lare fundum:
Quumque gemat numus jam jam moriturus in arca,
Nec potis inventis inventa recentia rurſus
Addere, ſpe lucri tentant quæ ſingula poſſunt.
  Quis modo dementes, nullo diſcrimine, tanti
Criminis oſſifrago non damnat fuſte nocentes?
Cur potius teretum non verſat pollice fuſum
Cum famulis mulier? Cur non ſua ſtamina ducit,
Spiſſaque nec tenui percurrit pectine fila,
Ut ſurgat telis cervus, pictæque volucres,
Quadrupedeſque viis raptantes eſſeda tritis (2)?

Ce-

---

mentum monilium ſuorum in ſuperbiam poſuerunt, & imagines abominationum ſuarum, & ſimulacrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiam: & dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impiis terræ in prædam: et contaminabunt illud. Et avertam faciem meam ab eis &c.

(1) Homines nunquam magis ad vitia atque virtutes, quam aliorum exemplo provocantur. *Homines enim*, ait Seneca ad Lucil. *amplius oculis, quam auribus credunt*. Deinde: *longum iter eſt per præcepta, breve et efficax per exempla*. Et apud Terent. *Adelph.* Demea narrans quomodo filium erudiat: *Conſuefacio*, inquit, *inſpicere tanquam in ſpeculum in vitas omnium jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi: hoc facito, et hoc fugito: hoc laudi eſt, hoc vitio datur*. Quomodo igitur filiæ deterrentur a vitiis, ſi a matribus vitiorum exemplis corrumpuntur? Vid. Horat. *Sat.* IV. *lib.* I. *ver.* 105. *et ſeq.*

(2) Prov. *cap.* XXXI. *v.* 10. *et ſeq. Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium eius.... Quæſivit lanam, et linum, et operata eſt conſilio manuum ſuarum.... Manum ſuam miſit ad fortia, et digiti eius apprehenderunt fuſum..... Stragulatam veſtem fecit ſibi: byſſus, et purpura indumentum eius..... Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo.... Conſideravit ſemitas domus ſuæ, et panem otioſe non comedit....*

Fel-

Digitized by Google

Cetera quin præſtans operoſæ dona Minervæ,
Sacra ſuas (ſi novit adhuc) documenta ſalutis
Ancillas doceat; mentem compeſcat; amorem
De ſæcli pompis, aut auro, aut veſte relinquat?
Et peccare timens, unum veneretur olympi,
Et maris, & terræ Dominum, timeatque Tonantem?
  Quid ni? Clara ſatis mentis cordiſque pudici
Nonne ſuis præbet factis exempla Philippus?
Nam tanto hic ſemper divino exarſit amore,
Ut nunc ſtratus humi nimio langueſceret igne;
Nunc gelidis flammam cuperet moderarier auris;
Nuncque precaretur, longe quo Numen abiret,
Exiretque ſuis nimium calefactus ab extis
Ignis amoris ovans; Domini ne victima, nullo
Sanguine conſperſo, ſuccenſa ex igne periret (1).
  Hæc ſibi poſcebat; tamen hæc non tradita votis.
Nam veluti ſubter concluſus montibus ignis,
Poſcit iter fremitu, pondus vi concutit, inſtat,
Et magis accenſus furibundus concipit iras;
Dumque exit, frangit ſaxorum robora, & ictu
Ardua terrarum, urbes, ſilvæ, tecta tremiſcunt (2):
Pectore ſic ardens ſtudioſi flamma Philippi
Condita, poſcit iter, data qua ſibi copia; firmas
Tranſadigit coſtas: laqueis ſic undique fractis,
Divus amor Divum, ſolem ceu flamma, repoſcit,
Et ſummo hoc tandem pacatus Numine ſiſtit.

Orna-

Fallax gratia, et vana eſt pulchritudo. Mulier timens Dominum ipſa laudabitur &c.

(1) Amor Dei etſi natura ſua dulcedine adſpergat, & ad perfectionem incitet amantes; ſæpe tamen, ſi mortalium organa ſatis urgeat, delectationem in dolorem tranſmutat. Sic Thom. 1. 2. *qu.* 28. *art.* 5. *in corp. Accidit, quod amor ſit læſivus propter exceſſum immutationis* [corporalis] *ſicut accidit in ſenſu, et in omni actu virtutis animæ, quæ exercetur per aliquam immutationem organi corporalis*. Sic intelligitur illud Cant. *cap.* VIII. *v.* 14. *Fuge, dilecte mi*; quod hic a Nerio uſurpatur.

(2) Vide quid ſupra *lib.* II. *Sermone* II. *pag.* 74. diximus de Ætna atque Veſuvio, notiſſimis Italiæ montibus, multo fremitu, & terrore hominum æſtuantibus; ut, quæ hic apponuntur, facilius intelligantur.

Digitized by Google

Huic igitur veſtri ſacrandi Numini amores:
Hoc mente, hoc animo poſcendum Numen; ut *uſum*,
Et plenum patulo fugientes crimine vanum
Ornatus morem, vitam vos ſobrie agatis;
Et data ſic Nerio mereatis dona Philippo (1),

[1] Sicuti, teſte Horatio, *lib.* III. *Od.* II. *verſ. ult.*
Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo: ...
ſic, teſte Paullo, II. *ad Tim. cap.* 2. *v.* 5. *Qui certat in agone, non coronatur, niſi legitime certaverit*.

SERMO TERTIUS.

Communes lætitiæ voluptates pro Nato iam Siciliarum Principe deſcribuntur. Rempublicam corpus eſſe oſtenditur. Quare, ut bene ſe habeat, una cum capite conſpirantia membra iactitet, neceſſe eſt. Indigniſſimi ſunt igitur, qui animi cupiditatibus obſecundantes, nec ſe cives præſtant, nec ſalubri morum curatione filios pariunt reipublicæ.

Iam compos voti es. Divis modo perfice ſacra,
Urbs tu Parthenope. Lætis, innupta, choreis
Percute tellurem. Accenſis undique tædis,
Quæ expanſis ardent, ceu Phœbus, nocte feneſtris,
Intonſi pueri vario certamine ludos
Per calles ducant, reſonetque ob murmura litus.
Quin perſonatos nullo diſcrimine cives,
Ingenuos, fortes, pollentes jure, vel armis,
Judicio, aut doctis adſtantes more cathedris
Aula vel excipiat reſonans, vel ſolis ad horas
Forma theatralis ducat ſpectacula noctis (1).
Hæc ratio, hæc tempus, lex hæc, hæc jura, Diique
Pro *Nato* civi concedunt gaudia *Rege*.
Ecquis enim vecors tanto pro munere ceſſet?
Occupet extremum ſcabies. Ego rebus in æquis
Non tardum opperior, quin præcedentibus inſto.
Quid tamen? Anne omnes vivet gens læta per annos?
Urbs ſoſpes ſemper? ſemper concordia tectis?

Cum

(1) Septem prope annos Ferdinandus IV. Borbonius utriuſque Siciliæ Rex, & Maria Carolina amantiſſima Coniux Filiorum expertes extitere: donec, natis iam duabus Feminis, anno tandem 1775. precantibus populis ſumma omnium lætitiæ voluptate Filium hereditarium Principem edidere. Qua de cauſſa Neapoli, totique Regno feſti dies, ac ſpectacula publica ſunt conceſſa: noſque in Regali Collegio Schol. Piar. Sollemnem habuimus Academiam, typis etiam publicatam.

Cum famulis domini, cum natis uſque parentes,
Cum matrona & ſponſa ſponſus patriciuſque
Conjunctis vivent animis, alacreſque quieſcent (1)?
Di faxint! Tamen hæc quis demens plurima ab uno
Rege petet? Magni caput eſt Rex corporis (2). Ipſe
Jura jubet, ſancit leges, & fœdera jungit:
Jurgia componit, dignis fert præmia, ſontes
Arguit, aut damnat: tandem moderamina regni
Suſtinet; & rapidi currus auriga, ratiſque
Fit rector, longaſque regit nunc cautus habenas,
Nuncque gubernaclum ventis afflantibus urget.
Attamen anne caput, rectorque, aurigaque cuncta
Conficiet ſtabili ratione? Caput rogo, dic, quid,
Ni manus, & pes, cetera ni illi membra ſecundent,
Confectum reddet? Sine equis auriga viarum
Quam metam tanget? Tandem ni carbaſa ventis
Dent nautæ, remis inſtent, laxentque rudentes;
Litora quæ adſpiciet? Quas navem ducet in oras
Rector? Erit felix, quod non terrebitur ira,
Et pelagi ſcopulis! Ergo ſint membra, neceſſe eſt,
Juncta ſimul capiti: & ſic efformabitur unum,
Et ſtabile, & firmum, atque omni laudabile in ævo
Corpus (3). Quid vero? Non eſt reſpublica corpus?

(1) Si ita eſſet, nunquam calamitates civiumque diſcrimina viderentur. *Verum ubi pro labore deſidia, pro continentia & æquitate lubido atque ſuperbia invaſere; fortuna ſimul cum moribus immutatur*, ait Salluſt. *de Bello Catil. num.* 2.

(2) Imperia Regum antiquiſſima ſunt. Salluſtius enim *de Bello Catil. n.* 2. ait: *Igitur initio Reges (nam in terris nomen Imperii id primum fuit) diverſi, pars ingenium, alii corpus exercebant &c.* Idemque habet Cicero *de Legib. lib.* III. quum ait: *Omnes antiquæ gentes Regibus quondam paruerunt. Quod genus Imperii primum ad homines juſtiſſimos, & ſapientiſſimos deferebatur.* Regiam autem auctoritatem *ibid.* ipſe Cicero demonſtrat, quum de annuo Romanorum Imperio, de Conſulibus ſcil. ad quos regia poteſtas tranſvecta eſt, clariſſime dicit: *Regio imperio duo ſunto: iique præeundo, judicando, conſulendo, Prætores, Judices, Conſules appellantur. Militiæ ſummum jus habento: Nemini parento:* & quæ ſequuntur.

(3) Senec. de *Beneficiis* apposite ait: *Nefas eſt nocere patriæ: ergo civi quoque: nam hic pars patriæ eſt. Sanctæ partes, ſi univerſum venerabile eſt: ergo & homini: nam hic in majori tibi Urbe civis eſt. Quid ſi nocere velint manus pedibus, pedibus oculi? Ut omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula ſervari totius intereſt; ita homines ſingulis parcent, quia ad cœtum geniti ſunt. Salva enim eſſe ſocietas, niſi amore, & concordia partium, non poteſt.*

Digitized by Google

Immo ſimul corpus regnum, quoque corpus & urbs eſt.
Quare ſi caput eſt Rex: cives corporis ergo
Sunt membra. Ah cives, cives! Vos fabula tantum
Reſpicit iſta mea. Urbis ſpes, concordia regni,
Publica res ſolos ad vos convertit ocellos (1).
Expergiſciminor, ſummamque capeſſite rerum
Vos vigiles; ne unquam frangatis remige puppim;
Ne in metam properans per vos nullo ordine fractus
Impingat patriæ currus; capitique nefanda
Cruribus infractis reſeratis damna; neque unquam
Deleta ex veſtris fœdæ veſtigia culpæ
Sint animis. Sed nunc aliquis dicet mihi: quid tu?
Numne dies noctesque vides nos ſtertere, ſic ut
Nos damnes? Immo dormit, ſtertitque ſupinus
Quislibet, officio qui non perfungitur. Ecquid
A ſomno differt, ſibi qui commiſſa ſuperbe
Negligit, & ſpernit, damnatque negocia? Nulla
Pars vitæ tacitis in rebus, ſitque in apertis;
Sit res ulla fori, vel habenda domeſtica; tecum
Vel ſi ſolus agas, tractas ſeu junctus amicis,
Officio vacat. Hoc recolendo, accedit honeſtas
Vitæ omnis: ſpernendo, inſtat ſed dedecus omne (2):
Nunc me qui buccis inflatis arguit, adſit.
Quod colis officium, vivas ut ſemper honeſte?
Publica quænam tu, vel quæ privata diurna
Nocturnaque manu præſtas, ſtudioque, animoque,
Ut membrum ſis, ſis civis? Diſtorquet ocellos;
Nil ait. An patriæ ſervis, an blandus amicis (3)?

Et

---

[1] A peſſimis civium moribus non poterit ſibi Reſpublica, niſi infeſta portendere. Valeat illud Valer. Max. dictum: *Quid prodeſt foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male vivitur? Expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis manus iniiciantur: niſi foro ac curiæ officium, ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum cælo cumulus æquatus ſedem ſtabilem non habebit.*

(2) Cicer. *de Offic. cap.* I. *Nulla vitæ pars neque publicis, neque privatis; neque forenſibus, neque domeſticis in rebus; neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altera contrahas, vacare officio poteſt: in eoque excolendo ſita vitæ eſt honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo &c.*

(3) Idem *de Amicitia cap.* VII. *Quod ſi exemeris ex natura rerum benevolentiæ coniunctionem, nec domus ulla, nec urbs ſtare poterit; nec agri quidem cultus permanebit. Id ſi minus intelligitur, quanta vis amicitiæ concordiæque ſit, ex diſſentionibus atque diſcordiis percipi poteſt.*

Quæ

Et tacet. Ergo cui? Mihi vix, reſpondet. In omni
Nonne igitur dormis vita, ſtertiſque ſupinus (1)?
 Parva tamen ſunt hæc, leviuſque nocentia; quæ ſi
Offendunt corpus, capiti obſtant; non tamen ambo
Percutiunt, lacerant. Dicam vix credibile; atqui
Sic habet. Officium quodnam eſt, quæ jura parentis?
Scilicet ut natos doctrinis imbuat: obſtet
Principio vitiis naſcentibus: increpet æſtus
Iratos animi: oſtendat quæ præmia rectis:
Quo vitium ducat, vel quo ſapientia: tandem
Quid ſibi, quid Regi dandum, patriæ, & quid amicis.
Cetera ſunt his plane convenientia (2). Sed quid?
Anne ſuis narrant gnatis hæc digna parentes?
Stertunt. Num ſicuti linquunt ſimulacra decori
Corporis, *auratæ clavis* fulgentis honore (3),
Et *rubræ torquis*; ſic ſic virtutis honeſtæ,
Conſiliique ſui ſtudioſo ſculpta colore,
Ingenioque polita levi ſimulacra relinquunt (4)?

Ster-

Quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma civitas eſt, quæ non odiis atque diſſidiis funditus poſſit everti? Ex quo quantum boni ſit in amicitia iudicari poteſt. Et Salluſt. *de Bello Catil. n.* 20. *Idem velle, atque idem nolle ea demum firma amicitia eſt.* Vid. Cic. *pro Plancio*. Ceterum vera amicitia, ut idem in *Lælio* tradit, niſi in bonis, eſſe non poteſt; quum virtutum amicitia adiutrix a natura data ſit, non vitiorum comes. Ariſtoteles etiam *Moral. ad Nicomacum lib.* VIII. docet, proprie amicitiam bonorum hominum eſſe, quatenus boni ſunt: reliquas vero amicitias per ſimilitudinem quandam ad veram amicitiam dici.

(1) Senec. *lib.* III. *de Ira* optime ait: *Animus quotidie ad reddendam rationem vocandus... Quod hodie malum ſanaſti? Cui vitio obſtitiſti? Qua parte melior es?* Idne agit, qui ne ſibi vivere unquam didicit? Hinc Salluſt. *de Bello Catil. num.* 2. iure ait: *Sed multi mortales dediti ventri atque ſomno, indocti incultique vitam ſicuti peregrinantes tranſiere: quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit: eorum ego vitam mortemque iuxta æſtimo, quoniam de utraque ſiletur.*

(2) Senec. *de Benefic.* ſic ait: *Non vides quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad ſalubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora ac repugnantium diligenti cura fovent: & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura conſtringunt: & mox liberalia ſtudia inculcant, adhibito timore nolentibus.* Nunc autem cultus corporis maximus eſt, cultura vero animi minima.

[3] De Equitibus Sancti Ianuarii egimus iam in *Serm.* II. *lib.* II. *pag.* 71.

[4] Cicer. *pro Archia Poeta num.* 12. *An quum ſtatuas & imagines, non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſe multi ſummi homines reliquerint: conſilio-*

Stertunt. Ah! utinam in medios dormire dies, &
„Ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curam
Poſſent; non autem præſentibus uſque probroſis
Criminibus juvenum fœdarent pectora: fraude,
Atque dolis animos turbarent: undique fœdis
Artibus in gnatis delerent ſemina claræ
Virtutis: bene nata ſimul, velut unguibus, imis
Auferrent animis, quo effœtæ in corpore vires
Ex cæcis hominem nequeunt revocare tenebris
Ultro ſeneſcentem (1). Nam qui nil condit; ineptus
Is male agit. Sed molem ſi quis deſtruit? Ipſe
Pejus habet. Quid ſi ſtructæ puteum baratrumque
Adjiciet moli demens, reddetque cloacam?
Naviget Anticyram: eſt etenim cerebroſus, & amens.
  Attamen hi ſunt, qui civis non munera præſtant,
Et patris; quum æque cives ſint, atque parentes.
Cur autem? dicam. Sunt horum maxima pars, qui
Nominis obliti, nocturno ludere chartis
Tempore depoſcunt, vel talo, aut teſſera: at una
Ferre optant natos, ſpectent qui prælia. Sed quid?
Quæ eximii cordis, caſti quæ exempla pudoris,
Quæve pudicitiæ præbent documenta (2), gementes

Dum

---

liorum relinquere, & virtutum noſtrarum effigiem nonne multo malle debemus, ſummis ingeniis expreſſam et politam? Quanto magis illam, quæ non coloribus, aut poetarum carminibus, ſed exemplo, ac bonis moribus a parentibus in filiorum animis efformatur?

[1] Experientia quidem conſtat, habitus cum difficultate deleri. Poſtquam enim longa conſuetudine naturam in hanc, aut illam partem inflexîmus; facile eſſe nequit aut in rectam, aut in contrariam partem reducere. Quare *Prov.cap.* XXII. *ver. 6. Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam quum ſenuerit, non recedet ab ea.* Sic illud Horat. *Ep.* II. *lib.* I. *ver. 69.*

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Nihil ergo magis intereſt vitæ humanæ, quam ſub initium actionum, aut paſſionum noſtrarum accurate perpendere, quæ inde facilitas aut agendi, aut patiendi naſci poſſit: ne ſi ea cum felicitate noſtra pugnet, perpetuo cum ea oporteat confligere, aut tota vita eſſe miſeros. Sic Genuenſ. *Inſtit. Metaph. par.* III. *cap.* 3.

[2] Amiſſo pudore, ſtatim etiam pudicitia amittitur. Quomodo autem pudoris iacturam amiſſio pudicitiæ ſequatur, narrat Chryſippus apud Origenem lib.IV. *contra Celſum. Primum extra Urbes & perſonatæ meretrices cum certa flagitii mercede proſternebant ſe libidini volentium accedere: deinde una cum pudore depoſuerunt perſonas; foris tamen manſerunt, arcentibus legibus: poſtremo diſciplina in dies depravatiore, intra Urbes penetrare auſæ ſunt.* Unde explicari poteſt illud *Geneſ.cap.* XXXVIII. de Thamar, *quæ mutato habitu ſedit in bivio itineris &c.*,

Quam

Digitized by Google

Dum ſors ex vacua numos ſibi vindicat arca?
Ore fremunt, verbis inſtant, minitantur ocellis,
Et pede tellurem pulſant, maledicta vomentes,
Vix quæ effutiret minimus de gente popelli.
Pars ducit natos crebra ad ſpectacula: nec jam
Proſpicit an media gravibus comitantur in aula
Matronis, aut cognatis, ducibuſque ſeveris;
An domina juveni, quam linquit ſponſus; an autem
Creſcenti nata, mater cui turpiter omnes
Ceſſit ad arbitrium errantes ſpectare cinædos:
Dum ſimul ipſa ſibi ſtudioſa, cupidinis arte
Deligit ex varia potiorem gente maritum.
Hic coram natis Staberi (1) dum captat iniquum
Turpis avaritiæ lucrum, palleſcit in auro.
Hic Arri (2) ſuperans animum, ſua prædia donat.
Nec Nomentani (3) deſunt, qui crimina junctim
Committenda putant, propriis diſcrimine nullo
Cum natis habito. Quare dominas ſibi nunc, &
Præbentes citra pretium ſua munera, captant;
Nuncque parabilem amant Venerem facilemque; nec ullas
Aut leges, aut jura timent, nec corporis ullum
Altius invectum fœdato ſanguine morbum.
Ecqui de tantis ſurget genitoribus infans?
Vel quæ dein creſcens juvenis melioribus annis
Calcabit frugi, aut recti veſtigia civis?
„Creſcit enim vitium, vireſque acquirit eundo;
Et ſemel amiſſo natura infirma pudore,
Claudicat in præceps. Quorſum ergo fabula Homeri,
Qui Trojæ bellum Chryſippo, & Cratere narrans
Plenius & melius, completo margine libro (4),

Ira-

Quam quum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultum ſuum, ne agnoſceretur. Pudorem autem a pudicitia Cyrus ita diſtinguebat apud Xenophon. *lib.* VIII. *de Cyri inſtitut. Quod verecundi palam turpia fugiant: temperantes autem & pudici etiam, quæ clam ſunt inhoneſta*. Ergo amiſſo pudore, amittitur pudicitia. Vid. Cicer. *pro Rege Deiot. num.* 10. *in Sex. Philip.* II. & alibi.

(1) Notiſſimus in Horat. Sat. propter avaritiam.

[2] Hic autem propter prodigalitatem.

[3] Hic vero propter prodigalitatem, atque libidinem.

[4] Ilias ſcilicet viginti quatuor libris comprehenſa, opus omni laude maius, ab Homero ſummo Poetarum Antiſtite conſcriptum, de bello Græcorum adverſus Troianos, ad vindicandam iniuriam

Iratos bello populorum continet æſtus?
Quorſum etiam, quæſo, Venuſini carmina Vatis,
Qui Græcum ſectans, hæc de certamine ſubdit:
„Seditione, dolis, ſcelere, atque libidine, & ira
„Iliacos intra muros peccatur, & extra (1)?
Peſſima ſunt hæc; dura tamen Mars corda ciebat (2).
Peſſima; at hæc inter conſpirans doctus uterque
Vates „quid virtus, & quid ſapientia poſſit
„Utile propoſuit nobis exemplar Ulyſſem (3).
Sed quæ bella cient animos, queis cingitur armis
Urbs hæc Partenopes. Secum quem jactat Ulyſſem,
Si cuncti peccant, ſi miſcent faſque nefaſque?
Hi tamen & cives, appellanturque parentes.
Præſtantes cives creta, haud carbone notandi!
Eximii patres lauro dignique corona!
Proh ſcelus! Heu facinus! Natos ſi jure Quiritum
Mactabant patres legum ſine crimine (4): nunc vos
Cri-

riam Helenæ Menelai Regis Spartæ uxoris, ob ſingularem pulcritudinem per Paridem raptæ. Quare Horat. *lib.* I. *Epiſt.* II. ita proſequitur:

Antenor cenſet belli præcidere cauſſam.
Quid Paris? Ut ſalvus regnet, vivatque beatus,
Cogi poſſe negat. Neſtor componere lites
Inter Peleiden feſtinat, & inter Atreiden.
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.

(1) Non in Iliade ſolum ſceleris ac iracundiæ exempla paſſim leguntur; ſed etiam de Agamemnone Aiacis cadaver humari vetante, itemque Iphigeniam mactante, de Aiace furioſo, &c. dictum eſt ab Horatio loc. mox cit. & lib. II. Sat. III. &c.

[2] Ut in victoriis ſuperbia eſt, ſic in bellis iracundia. Hinc Cicer. *pro M. Marc.* num. 3. *Quum aliquid clementer, manſuete, iuſte, moderate, ſapienter factum, in iracundia præſertim, quæ eſt inimica conſilio, & in victoria, quæ natura inſolens, & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus; quo ſtudio incendimur, non modo in geſtis rebus, ſed etiam in fictis, ut eos ſæpe, quos nunquam vidimus, diligamus?*

[3] Homer. *in Odyſſ.* Ulyſſem infinita mari terraque pericula, modo virtute, modo arte viciſſe oſtendit: non ſolum enim contra homines, & monſtra, ſed & contra Deos pugnavit. Iupiter, & Neptunus concutiunt & frangunt aliquando naves: Lotophagi, Cyclopes, Leſtrigonii, Circe, Sirenes, Scylla, Carybdis, Proci exitium machinantur. Ex his tamen omnibus evadens, dudum vagabundus, poſt annos viginti in Patriam tandem rediit. *Quam multa paſſus eſt Ulyſſes in illo errore diuturno!* ait Cic. *Offic. lib.* I. *n.* 31. & Horat. *Ep.* II. *lib.* I.

Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes,
Et mores hominum inſpexit; latumque per æquor
Dum ſibi, dum ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſus rerum immerſabilis undis.
Sirenum voces, & Circes &c.

(4) Romulus omnem poteſtatem, & per omne vitæ tempus patri in filium dedit, ſive coercere, ſive verberare, ſive vinctum ruſtico operi detinere: maiorem quoque patri in filium poteſtatem, quam

Crimine cum patulo mores corrumpitis, ut ſic
Virtus fracta gemat. Vos vos reſpublica cernit?
Vos domus, & patria, & ſoboles vos reſpicit? Et vos
Membra eſtis regni, capitique faventia? An autem
Conjunctum regni totum ſolventia corpus?
Nam nec vos cives eſtis, conſiſtere veſtro
Ut queat auxilio felix reſpublica: nec vos
Fundamenta datis, ſic ut mox floreat (1). Ergo
Ne ſpes fallaces, ne ſint ſimul irrita veſtræ
Gaudia lætitiæ *Nato* pro *Rege*; cupido (2)
Frænanda eſt auri, luxus, furor, ira, voluptas,
Invidia, & livor, demens jactantia: tandem
Frænis eſt animus moderandus; qui niſi paret,
Imperat (3). Hæc alacres ſi vos præſtabitis; urbes

Q Ci-

---

quam domino in ſervum: nam ſervorum qui ſemel eſt venditus, poſtea libertatem inveniens, ſui deinde eſt iuris: verum venditus a patre filius, ſi liber fiat, in poteſtatem iterum redit patris: idem ſi ſecundo fieret, manumiſſuſque eſſet, ſervus tamen erat patris, ut prius: poſt tertiam autem venditionem liber erat a patre. *Auctor eſt Dionyſius lib.* II. Quin antiquioribus illis temporibus eo rigor patriæ poteſtatis ſe extendebat, ut indicta cauſſa filium *morti* tradere poſſet. Quod abolitum *l. ult. C. de Patr. Poteſt.* Ita enim eredebant prudentiſſimi illi homines, legis huius duritiem pietate plerumque paterna extingui. Nam pro magno peccato paullum ſupplicii ſatis eſt patri. Ex antiquo autem iure & hoc remanſit, quod filium contumacem pater Iudici offerre poſſit, qui ex præſcripto patris pœnam infligeret, *l. 3. C. de Patr. Poteſt.* Hæc etſi dura, iuſta tamen videbantur. Quippe *magnis ſceleribus*, ut ſcribit Seneca, *iura naturæ pereunt*. Vide qua ratione Fulvius pater Fulvium filium *ex itinere retractum necari iuſſit* apud Sall. *de Bello Catil. num.* 39. & quid nos de Torquato filio a patre interfecto diximus *Serm.* III. *lib.* II. *pag.* 79.

(1) Appoſite ad hæc Salluſt. *de Bello Catil. num.* 2. ait: *Verum enimvero is demum mihi vivere, atque frui anima videtur, qui aliquo negocio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit.* Optimus ergo civis futurum etiam Reipublicæ bonum reſpicere debet. Quare Cicero *in Catone Maiore* hæc ſubdit: *Nemo mihi Scipio perſuadebit, aut tuum Paullum, aut duos Avos Paullum, & Africanum, aut Africani Patrem & Patruum, aut multos præſtantes viros, quos enumerare non neceſſe eſt, tanta eſſe conatos, quæ ad poſteritatis memoriam pertinerent, niſi animo cernerent, poſteritatem ad ſe pertinere poſſe &c.*

[2] Illud hic repetam Cicer. *lib.* I. *de Offic. n.* 20. *Nihil eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quam amare divitias; nihil honeſtius magnificentiuſque, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas; ſi habeas, ad beneficentiam, liberalitatemque conferre.* Vid. Gell. *lib.* III. *cap.* 1.

(3) Vehementes animi appetitus compeſcendi ſunt, qui niſi a ratione premantur, hanc ipſi opprimunt, & in præceps rapiunt. Ad hæc Cic. *ibid. num.* 28. inquit: *Duplex eſt vis animorum ac naturæ. Una pars in appetitu poſita, hominem huc, & illuc rapit: Altera in ratione, docet, & explanat quid faciendum fugiendumve ſit: ita fit, ut ratio præſit; appetitus vero obtemperet.* Et idem ibidem num. 29. *Efficiendum autem eſt,*

ut

Civibus, auxilio regnum, reſpublica membris,
Gnatis tecta, bonis nati ſed moribus uſque
Florebunt. Dabitis tunc vos præcepta, ſuis quæ
Servius Oppidius natis tradebat (1); & ex his
Nullus erit Nomentanus, nulluſque Cicuta:
Atque patres inter, natoſque micabit & omnes
„Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli (2).

SER-

ut appetitus obediant rationi, eamque nec præcurrant ob temeritatem, nec propter pigritiam, aut ignaviam deſerant &c. Quare Perſius *Sat. V. ver.* 38.

> . . . . . *Intortos extendit regula mores:*
> *Et premitur ratione animus, vincique laborat.*

Temperantia igitur in omnibus eſt adhibenda. Quæ, teſte Tul. *Tuſcul.V. num.* 14. eſt *commotionum omnium moderatrix; quæ tum a libidine avocet, tum inſolenti alacritate geſtire non ſinat*. Et II. *de Invent.* 164. *in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio.* Vid. Horat. *Od.* III. *lib.* II. Ariſtot. *ad Theod.* 1. Euripid. alioſque.

[1] *Servius Oppidius* prudentiſſimus Pater duos filios a diverſa inſaniæ ſpecie deterrebat; unum ſcilicet Nomentani exemplo, hominis profuſione, & luxuria famoſi; alterum vero exemplo Cicutæ, fœneratoris avaritiæ ſordidæ: quod ſcilicet adhuc pueri ad hæc vitia inclinabant. Conſule Horat. *lib.* II. *Sat.* III.

[2] *Lælius* Scipionis Africani impenſe ille amicus, magna ſapientia inclytus apud Romanos; cui dialogum de amicitia Cicero inſcripſit. Quare Horat. *lib.* II. *Sat.* I. *ver.* 65. *& ſeq.*

> . . . . *Num Lælius, aut qui*
> *Duxit ab oppreſſa meritum Carthagine nomen,*
> *Ingenio offenſi?*

SERMO QUARTUS.

Nonnullorum ignavia merito reprehenditur, qui quum poeſeos præſertim, ac matheſeos facultates, ceteraſque diſciplinas nunquam didicerint; de rebus tamen omnibus non dubitant diſceptare. Maioris tamen dementiæ ſunt, qui nimia morum improbitate, ut conſcientiæ ſtimulis (quod fieri fortaſſe nequit) diſſolvantur; animæ immortalitatem, æternitatem pœnarum, ac Dei exiſtentiam inficiantur: ſicque divina omnia ineptiſſimis argumentis contemnunt, atque dilacerant.

Jam dudum Muſis vale dixeram: Apollinis ipſe
Tutus vatidicum nunquam depoſcere Numen,
Dejectis calamis, & plectro vix prope ſano;
Quum me ceſſantem, nec jam ſine numine Phœbi,
Iratæ nimium pariter petiere Camœnæ:
Heus tu, quid ceſſas? (vox hæc erat omnibus una),
Vel quæ tam vecors cœpit ſocordia? Sic nos,
Sicque Dei, ſummæ Pindi qui præſidet arci,
Munera perpendis? Quot fungi, quot balatrones,
Queis melius tereti frangentur colla capiſtro,
Undique Apollineas maculant erroribus artes!
Dicitur hic vates; tragicus, vel comicus ille;
Hic ſophus; ille poli, pelagique aut menſor arenæ:
Alter cauſſidicus; veterique, novaque peritus
Alter in hiſtoria: vatum quum carmina tantum,
Et leges, doctæque ſciant præcepta ſophiæ,
Quantum prægrandis ventoſa cucurbita novit.
Tu tamen hic ceſſas? I, demens: Jupiter ipſe
Te cogit: Divo ſurgunt certamina ſummo,

Atque gigantei renovantur prælia belli (1).
Hæc Muſæ. Hinc ſævo minitantes ore, timentem
Me linquunt, volventem animis & plurima mutis.
Hinc abiens ſolus, pelagi prope litus amœnos
Pauſilypi colles adeo (2). Multos ibi forte
Inveni juvenes (nam quis mendacia Muſis,
Aut incerta poteſt merito reprehendere?) ſecum
Vatidicis pariter pugnantes cominus armis.
Quæ rixæ, pueri, vel quo furor iſte? Querelas
Nuſquam amat, iratis nec eget ſapientia verbis,
Sed quis clamantes inflato detinet ore?
Altius exclamant, & verbis Græca Latinis
Miſcent, & colles confuſo murmure cædunt.
Aſt raucus tandem, longo & certamine anhelus
Unus, cunctantem dum me proſpexit: Amice,
Dic, ait, & ſubito nobis eris alter Apollo;
Quis primum Latio dictavit carmine recte
Artem ſcribendi? Flaccus (3)? Quis carminis una
Exhibuit metrum, ut digitis reſponſet & auri
Certa pedum menſura? Idem Flaccus. Tamen iſte
Per Phœbum crebro, per Muſas, perque Priapum
Jurat, Ariſtotelem præ cunctis *carmine* primum
Scribendi recte præcepta dediſſe: refertum
Prorſus inutilibus verbis, ac legibus omnem
Appellat Flaccum, doctis quum fratribus aureum
Conſcripſit librum Piſonibus: ultro nec inde
De metro varii dixiſſe poematis. Hiſce
Commotus verbis, ſubito naſutulus ille,
Cirratuſque venit juvenis: lato ore, miniſque
Prolatas optat mendas defendere: Flaccum
Objurgat, culpat ſocios: quid plurima? Doctus

Ne-

(1) De bello Gigantum contra Iovem pluries præ ceteris egit Horatius *lib.* II. *Od.* 12. & 14. *lib.* III. *Od.* 1. fuſiuſque eodem *lib.* *Od.* 4. De quo nos etiam inferius agemus.

(2) De *Pauſilypi* collibus fuſius egimus in *adnotat. ad Serm.* V. *lib.* I. *pag.* 46.

(3) Nonnulli id tribuunt Horatio, ut non ſolum inter Latinos, ſed fortaſſe etiam inter Græcos eximia poeſeos præcepta verſibus ediderit, aureo libello illo, ſive epiſtola, quam Piſonibus dedicavit.

Neſcio Callimachus ſit (1), Mimnermuſque vocandus (2),
Sit vel Ariſtarchus (3). Doctæ date ſerta Camœnæ,
Inſano capiti, Satyro ſed qualia Phœbus (4).
Nonne etenim juvene hoc docto cataphractus apertis
Rectius in ſcenis mimus, pupæque loquuntur?
Nam quæ vel ſapiens (etſi permulta ſolutis (5)
De muſa ad vates ſcripſit ſermonibus) unquam
Hic pater Argolico præcepit *carmine*, dic, quæ?
Scilicet is vere eſt functus vice cotis, acutum
„Reddere quæ ferrum valet, exors ipſa ſecandi.
Quid vero? Flaccus de metro haud verba loquutus?
Nec pede, quo poſſint conjungi carmina, dixit?
Incus non poterit minimam Vulcania crebro
Ictu particulam tam duri avellere vultus.
Ecquid enim expreſſit Vates, quum dixerat olim:
„*Res geſtæ regumque ducumque, & triſtia bella,*
„*Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus*,
Quæque haud diſſimili voces ratione ſequuntur?
Hoc eſt, quod nolis, cupias, fateare, neceſſe eſt,
Dat res carminibus, variis & carmina metris (*6*).

Et

(1) *Callimachus* Elegiographorum princeps apud Græcos, Quintiliano etiam teſte. Cyrene in Africa oriundus, floruit ſub Ptolemæis Philadelpho & Evergete: plurima certe carmina ſcripſit, ſed pervenerunt ad nos pauca duntaxat epigrammata, & hymni. Ex eo quædam imitari interdum, & prædari ſtuduerunt Catullus atque Propertius. Quod breves libros amavit Callimachus, inſimulantibus aiebat: *Ingens volumen, ingens malum.* Vid. Horat. *lib.* II. *Ep.* II.

(2) *Mimnermus* Poeta Epicureus, Colophonius, vel Smyrnæus, ſeptem ſapientibus fortaſſe antiquior, ſcripſit amatoria elegiaco verſu tam ſuaviter & argute, ut *Ligyoſtades* appellaretur, unde Propert. *lib.* I. *Eleg.* 9.

Plus in amore valet Mimnermi verſus Homero.
Carmina manſuetus lenia quærit amor.

(3) *Ariſtarchus* Grammaticus ætatis ſuæ princeps, idemque ſeverus operum cenſor, qui poetas Græcos accuratiſſime caſtigavit, atque in Homero verſus adulterinos pleroſque a legitimis diſcrevit. Sed tanti viri tot voluminum nihil ſuperſtes habemus. Tempore Callimachi floruit: de quo Cic. *lib.* III. *Epiſt.* II. *Ariſtarchus Homeri verſus eſſe negabat, quos non probabat.* Vid. Horat. *de Art. poet. ver.* 450.

(4) *Satyro* ſcilicet *Marſyæ*, qui quum Phœbum ad cantus certamen auſus eſt provocare, ab eo victus & excoriatus eſt. Vid. Ovid. *lib.* VII. *Faſt.* & VI. *Metam. ver.* 383. Horat. *lib.* I. *Satyr.* VI. *ver.* 120. Plin. *lib.* XXI. *cap.* III. Serv. *ad Æneid.* IV. *ver.* 58.

(5) Pulcherrimus liber eſt Ariſtotelis *de Art. poet.* quem autem ſoluta oratione, non verſibus ſcripſit.

(6) Præter allatos Horatii verſus, & eos, qui mox ſequuntur, hos etiam pro vario metro, atque materia exhibuit, ſci-

An tu, ſtultus adhuc, dubitas? Quid clarius hiſce:
„*Syllaba longa brevi ſubjecta vocatur iambus*,
„*Pes citus: unde etiam trimetris accreſcere juſſit*
„*Nomen iambeis, quum ſenos redderet ictus*?
Vocales igitur numerat longaſque breveſque
Cum ſenis pedibus, complent quæ carmen iambi.
I ergo, & primum ſcribendi diſce colores;
Poſthac doctorum repetes penetralia vatum.
Sed non hic finis. Rediens a vertice collis,
O juvenum quæ magna cohors occurrit, in ore
Neſcio quid magnum jactans, graviuſque loquendo
Hanc ab Ariſtotelis reputares iſſe Lyceo (1)
Per calles, quos una premit ſapientia! Cunctos
Ipſe ſalutatos volui: veſtigia paullum
Compreſſi cupidus. Sed quænam quæſtio, vel quæ
Hos inter juvenes cedit ſententia? Lapſos
Verba mathematicos pollent ex æthere. Namque
Hoc ſtudium cunctos, & doctæ fama Camœnæ
Invaſit juvenes, cupiunt qui plurimi haberi (2).
Hinc unus propriis confidens viribus, atro
Quum vix ellipſim didicit deſcribere plumbo,
Convexumque ſecans quanam ratione per orbem
Linea, vel tangens ducatur; cuncta ſuperbus
Scire tamen credit mundi *ſyſtemata*. Tichi (3),

At-

ſcilicet *ver. 75. de Art. poet.*

Verſibus impariter junctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia campos.

Et paullo poſt:

Archilocum proprio rabies armavit iambo.

Et denique:

Muſa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

(1) *Lyceum* gymnaſium erat iuxta Athenas, in quo Ariſtoteles docuit. Quare Cicero I. *Acad.* ait: *Qui erant cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lyceo*.

(2) Tanti ſunt, qui hac tempeſtate matheſeos, poeſeoſque diſciplinas ſtudio proſequuntur, ut hos veluti furor invaſiſſe videatur. Moriuntur, niſi mathematici nuncupantur, & niſi vel ſcriptis, vel etiam ex tempore poetantur. Sed ex Horat. auctoritate *ibid. ver.* 372.

. . . . *Mediocribus eſſe poetis*
Non homines, non di, non conceſſere columnæ.

(3) De *Tichi*, recentiorique *Copernici* ſyſtemate legendi ſunt Aſtronomi, atque Geographi, qui varias horum, aliorumque hominum de motu planetarum opiniones diffuſe pertractarunt.

Atque tuum appellat perſæpe, Copernice, nomen.
Quot mendas (demens!) Newtoni corrigit! Unus
Noſcere Apollonii ſenſus dijudicat: Unus
Appellat *ſegnes*, *bardos*, *craſſaque Minerva*
Quot ſunt ſcriptores non parvi nominis; atque
„Se *maris*, *&* *terræ*, *numeroque carentis arenæ*
Menſorem reputat; numeris, crucibuſque fatetur,
„*Aerias tentaſſe domos*, *animoque rotundum*
„*Percurriſſe polum* (1). O tu terque quaterque Tarenti,
Archita, infelix Civis meus! En tibi palmam,
Qui puer, aut imberbis adhuc nunc abripit! Olim
Mechanicis aquilam potuiſti mittere in auras
Artibus (2): aſt aquilam, eſſet quamvis lignea; plumis
Ipſa tamen fuerat ſatis aſpera. At iſte (quod amplum eſt)
Valdius innixus numeris, per hyperbolis arcum
Impellit volitans implume per æthera cornu.
Eſt cui nil ſupereſt diſcendum, nilque legendum:
Socraticas recitat chartas, legeſque Platonis,
Atque Siracuſas poterit defendere inermis (3):
Nec veteres tantum, cunctos legit ipſe recentes.
Wolfius in manibus non eſt; & mentibus hæret
Pæne recens; facilis quo ſic problemata ſolvat;
Angulus ut quivis terna jam parte ſecetur;
Et ſimili tandem quadretur circulus arte.
Nunc decus is Latii evadit Galilæus; & axe
Diſcernit noctu quæ ſit via lactea: nuncque
Surgit Ariſtoteles, novus aut Malebranchius; atque

Hu-

(1) Auditur ſæpiſſime a nonnullis homuncionibus: Newtonum millibus ducentiſque erroribus ſcatere: Wolfium παραλογισμων auctorem eſſe: unum eſſe Apollonium, parum ab aliis intellectum, ex quo vera eruitur matheſeos diſciplina. Quid mirum igitur, ſi ceteros, etſi doctiſſimos homines, flocci facere videantur!

(2) *Archita Tarentinus* [cujus hujuſmodi carminum Auctor Civis eſt] Pythagorica in philoſophicis, Platonica in geometricis præcepta hauſerat. Mathematicis, & mechanicis artibus excellens, columbam ligneam *libramentis ſuſpenſam*, *& aura ſpiritus incluſa atque occulta concitam*, *fecerat volantem*. Gell. *lib.* X. *cap.* 12. Cubum primum invenit, Platone teſte, *in Repub.* Diogen. Laert. *lib.* VIII. Vid. Cic. *in Catone mai.* & *de Divin.* *lib.* II. Horat. *lib.* I. *Od.* 28. &c.

(3) *Archimedes* ſcilicet, qui decem annos Syracuſas ſuis machinis ab hoſtibus defendit, de quo egimus in *Serm.* IV. *lib.* I. *pag.* 38.

Google

Humanæ mentis, mundique, Deique popello
Dictitat in triviis graviora apophthegmata: quum hercle
Vix novit lemures, & ſomnia Pythagorea (1).
  Quid fruſtra hic referam reliquos de gente ſophorum
Inſignes juvenes? Juvat hos *attractio*. Cunctos
In ſolem dicunt (nam ſic didicere magiſtris
Quondam, ſe pueris,) cæli gravitare planetas,
Et varios circum ſolem deſcribere curſus.
Sed cur, quære modo, cadere in ſolem nequit ullus
Sive planeta, aut ſtella, ad ſe quum ſol trahat? Hærent;
Nec jam *centripetam* callent diſtinguere vim, nec
Hanc cum *centrifuga* certa conjungere lege (2).
  Hic amat, atque recens *electrum* vindicat ignem.
Cælum, ait, & nubes, cum magno & Veſvius Ætna,
Et terra omnipara, & phænomiferum aera, & æquor
Ennoſigæum; *electro* hæc manant cuncta vapore.
Si pluit aut ningit, rugit vel fulgurat æther;
Si tonat exploſis magno cum murmure bombis
Vulcanus mons; ſternuit, aut fortaſſe pepedit
Crudo quis ſtomacho; *electrum* in cauſſa ſimul eſt. Sed
Quanam, poſce precor, lege aut ratione? Micantem
Ignorat demens, ignito e corpore lucem,
(Maxima ubi electri virtus eſt) protinus extra
Effugere, & corpus (minima eſt ubi copia) velle;
Quo vapor huc, illuc, ac re libretur in omni (3):
  Quid non vana ſibi juvenilis vindicat ætas!
Ad ſummum venit fortunæ: pingit ad unguem:

Expri-

(1) De Pythagoræ ſomniis Vid. Perſ. Sat.VI.*ver*.10.& Horat.*Ep*.I.*lib*.II.*ver*.55. Nihil addam de recentioribus Philoſophis, quorum libri omnibus innoteſcunt.

(2) Samuel Clarck. *in Adnotat. ad Newton.* vim *centrifugam*, qua corpora planetaria a centro recedunt, & *centripetam*, qua ad centrum tendunt, hac ſimilitudine explicavit: *Eodem modo, quo lapis in fundo circumactus, dum motu ſuo proiectili a centro recedere conatur, funiculo autem continue retrahitur, ne avolet, circulum deſcribit* &c.

(3) Undique adoleſcentes, tanquam ſi iuraverint in verba Magiſtri, venditant *electriciſmum*. Neſcio autem an præcipuas huiuſmodi rei leges unquam didicerint: cuius tamen phœnomena ab exceſſu prorſus omnia defectuque materiæ repetuntur. Quoties enim, ut ad æquilibrium electrica vis redigatur, ex corpore, quod vapore ſcatet, ad corpus, in quo deficit, velociſſime recurrit; toties effectus illi naſcuntur, qui non ſine admiratione a parum intelligentibus obſervantur.

Exprimit hinc oculos, & molles ære capillos:
Mox ducit choreas, reſonanti & pectine pſallit;
Et mox luctatur Græcis ſapientius unctis.
Hic defendendos arceſſit jure clientes,
Jam Meſſala novus (1); leges nec Codicis hauſit.
Hic, cui vix conſtat Romanæ conditor urbis;
Se putat hiſtoricum. Circi qui denique neſcit,
Aut Nemei ludos (2), nomenque domumque Sibyllæ;
Cunctarum pugnat rerum Calepinus haberi.
 Nos infelices, qui dum faſtigia Pindi
Poſcimus ingrati, haud tanto dignamur honore!
Nos miſeri, lacrymiſque ſimul digniſſimi obortis,
Nulla quibus cæli conſpirant Numina! Namque
Pauca laborantes extenſo diſcimus ævo:
Contra plura brevi (miſerum!) dediſcimus hora!
 Sed num vos dicam felices, docte Joannes (3),
Bibliotheca cui regalis nomen adauxit;
Te, Caravelle, Ducum præceptor (4); teque meatus
Conſpiciens cæli, Felix cui nomen inhæret (5);
Teque Caſinenſis cætus Pater optime, Juli (6);

R Voſ-

(1) *Meſſala Corvinus* nobilis ac clarus orator Græciſque litteris eruditus, de quo Horat. *de Art. poet. ver.* 369.

. . . . Conſultor juris, & actor
Cauſſarum mediocris abeſt virtute diſerti
Meſſalæ, nec ſcit quantum Caſcellius Aulus.

Et Quintill. *lib.* X. *cap.* 1. *Meſſala nitidus & candidus, & quodammodo præſeferens in dicendo nobilitatem ſuam.* Vid. Cic. *ad Brutum*, eumd. Horat. *lib.* III. *Od.* 21., & *lib.*I. *ſat.* 10. & Tibul. *lib.* I. *Eleg.* 3. qui *lib.* IV. ſic incipit:

Te, Meſſala, canam; quanquam tua cognita virtus
Terret, ut infirmæ valeant ſubſiſtere vires.

(2) De Circi ludis Vid. *Serm.* II., & III. *lib.* II. De Nemeis vero *Serm.* IV. *lib.*I. & ſubſcriptas ibi adnotationes.

(3) *Ioannes Maria de Turre* Cleric. Regular. Somaſchæ; qui Regius Bibliothecarius renunciatus, multa typis edidit, præſertim Phyſicæ inſtitutionem, quam *Naturæ ſcientiam nuncupavit*; *microſcopicas obſervationes*, & *de Veſuvio monte* tractatum: ceteraque, quæ omnium manibus obvolvuntur.

[4] *Vitus Caravellius* Regius in militari Academia matheſeos Profeſſor; qui *algebræ*, *integramque geometriæ Inſtitutionem* ad uſum nobilium Militiæ Alumnorum paucis ab hinc annis, multis voluminibus publicavit.

[5] *Felix Sabatellius* in Univerſitate Neapolitana aſtronomiæ Profeſſor; qui cum geometricis facultatibus exterarum etiam linguarum intelligentiam pari laude amplexus eſt.

[6] *Iulius Sanſelicius* ex Familia Caſſinenſium; qui plurimis annis philoſophicas mathematicaſque diſciplinas in inſigni S. Severini domu profeſſus eſt; clariſſimamque familiam ſuam, non dignitatibus, quas ultro reſpuit, ſed ingenii ſui excellentia auxit vehementiſſime.

Voſque decus patriæ, Marſucche (1), aut Muſcie (2), doctas
Nomine qui impletis famaque, typiſque cathedras;
Et vos, quos nequeo cunctos diſtinguere verbis,
Eximios homines (3), libros pluteumque ferentes,
Quos merito elatis recipit ſapientia tectis,
Atque Mathematicos lato celebravit in orbe?
En en qui veſtros pueri, juveneſque labores
Derident, palmamque petunt: quum vix tamen ipſi
Auctorum diſcunt denſiſſima nomina, frontes
Multorum adſpiciunt, tituloſque, typoſque librorum!
  Hac quænam major ſurget dementia, doctos
Ut ſe jam dicant, Phœbi qui ſcrinia nunquam,
Nec pallam doctæ, aut peplum potuere Minervæ,
Tangere, nec varias rerum ſervare cathedras?
  Peccant hi nimium, & fortaſſe carent venia: nam
Ambitione mala, atque elato crimine peccant.
Si tamen hæ trutina culpæ penſantur eadem,
Et quæ pars hominum committit crimina, ſalva
Vix anima, atque Deo; non eſt quid multa loquamur:
Illas forte leves dices, ultroque ferendas;
Hæc gravia, hæc fœda, & nulli toleranda bubulco.
Cur autem? dicam, referamque his verſibus apta.
  O quanta in medium vecors ignavia mentis
Protulit in cives fœdiſſima crimina! quantas
Mos hominum patitur, cuncta & reſpublica mendas,
Cordis ubi pravi regnat male ſana cupido!
Scilicet imberbis corruptis moribus, atque
Docta ſuæ mulier crebra prurigine mentis,

In

[1] *Ioſeph Marſucchius* in eadem hac Neapolis Univerſitate Primarius matheſeos Profeſſor; qui cathedræ ſuæ dignitatem, quam ſuſtinet diligentiſſime, non ſamæ tantum opinione, ſed publicis iam pluries exhibitis ingenii ſui experimentis laudabiliter meritus eſt.

[2] *Ioannes Caietanus de Muſcio* Cleric. Regular. Schol. Piar.; qui Neapoli in Collegio Regali eiuſdem Ordinis philoſophicas & geometricas facultates pluribus annis nobiles docuit Adoleſcentes: publicis quotannis tum de phyſicæ experimentis, tum etiam de algebræ ſublimi calculo editis academiis, ad Meliteuſem Univerſitatem accerſitus, eaſdem diſciplinas ad hæc tempora profitetur.

[3] Nonnulli ſunt etiam in eiuſmodi facultatibus clariſſimi homines cuiuſcumque Ordinis ac Inſtituti, quos quidem non paucæ noſtri erga illos exiſtimationis atque obſervantiæ cauſſa, ſed ut ſuetæ poeſeos brevitati conſulamus, conſulto omnes ſilentio prætermittimus.

In mediis aulis, nulla ratione modoque,
Mortalem dicent *animam*: *nullaſque* fatentur (1)
Poſt obitum pœnas homini, *nec præmia*: *&* *ipſum*
Æternum renuunt (facinus!) *ſuper æthere Divum*!
Hujus quo appellem mortales furfuris ore?
Dementes dicam? tacito ſub pectore namque
Dixerat inſipiens: *non eſt ſuper æthere Numen* (2):
An dicam ignaros? nam, quæ clariſſima noſcunt,
Qui ſiliquas comedunt, faciles vel gutture pultes,
Hæc ſimul ignorant. Dicam vel denique . . . Quo vis
Rere modo. Cæcos quos ducit ſæva libido,
Hos potius dices Epicuri de grege porcos (3).
Ecquis enim morti divinæ particulam auræ
Supponet, niſi quæ paret, ſus, bellua ventri?
Non ita, quis clamat: tu te ipſum decipis, inquit.
Nam qui hominum mores multorum vidit, & urbes,
Qui reges vicit, debellavitque ſuperbos
Marte duces Cæſar, ſcriptorque, ſophuſque Quirina
Doctus in hiſtoria: *ærumnarum*, dixerat olim,
Eſſe necem requiem, *non pœnam*: *cunctaque mortem*
Quot ſunt damna viris citius diſſolvere: *&* *ultra*

[1] Tria in ſecunda hac Sermonis parte ſunt refutanda, quæ tam magis pernicioſa ſunt, quam quæ aliquando in ore adoleſcentium, & ſermonibus etiam puellarum obverſantur, ſcilicet: *Animam non eſſe æternam: nullas homini poſt mortem ineſſe pœnas, aut præmia*: & quod durius eſt, *Deum non eſſe æternum* &c. Quæ quidem ideo nonnulli præſeferunt, aut quod ignavi, ex incredulorum libris hauſerunt; aut quod dementes, videri ſe magnanimos arbitrantur; aut denique quod ſceleſti, nequitia atque improbitate liberius uti volunt.

[2] Sic Pſ. 13. *ver.* 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo; Non eſt Deus*. Cur autem id? Quia inſipiens eſt, & nequitia delectatur. Etenim *ib. ver.* 2. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus: non eſt qui faciat bonum &c.*

[3] Appoſite ad hæc ait Sall. *de Bello Catil. num.* 2. *Multi mortales dediti ventri atque ſomno, indocti, incultique, vitam ſicuti peregrinantes tranſiere; quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit*. Quare num. 1. *ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant, veluti pecora; quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit*. Unde Ovid. lib. *Metam.* 1.

Pronaque quum ſpectent animalia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Vide Cic. *de Leg.* I. Ariſtot. *lib.* II. *cap.* 7. *lib.* III. *cap.* 6. & *lib.* IV. *cap.* 10. *de Part. animal.* Galen. *lib.* III. Socrat. apud Xenophont. &c.

Nec curæ eſſe locum, poſitis nec gaudia fatis (1).
O ſeri ſtudiorum! Vobis ſatne videtur
Hæc dixiſſe virum; caute nihil inde putare
Quo ſtudio, aut animo, vel re qua dixerit? Iſthæc
Tullius & quondam, graviori quin ſimul ictu,
Sentit, dum proprii cauſſamque decuſque clientis
Egerat, adverſo nec percitus ore (2). Quid inde?
Nonne alias pro ara atque foco, ſententia quæ eſſet
Mentis certa ſuæ, ſcriptis patefecit, & ore?
Cur igitur navi non hic ponetur eadem
Cæſaris ad ſtudium propriæ ſententia cauſſæ?
Eſto: ſic animis Cæſar præſenſerit. Ohe!
Illius anne legis relegiſque; & verba Catonis (3),
Queis Juli voces conſtans reprehendit, & obſtat;
Reſpuis, aut nullo cernenda hic lumine credis?
Errat, ait, *Cæſar*: *diverſo tramite gentes*,
Ceu vitium, aut virtus fuerit, poſt fata trahuntur.
Nam loca ſenta ſitu, fœda, aſpera crimine læſi
Quippe tenent. Claris ſed qui virtutibus hærent,
„*Devenere locos lætos, & amœna vireta*
„*Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.*

Iſta

[1] Cæſar pro Catilina loquens apud Sall. *de Bello Catil. num.* 51. ſic ait: *De pœna poſſum equidem dicere id, quod res habet: in luctu, atque miſeriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum eſſe: eam cuncta mortalium mala diſſolvere: ultra neque curæ, neque gaudio locum eſſe*. Impia hæc eſt Cæſaris ſententia: ſignificat enim animam interire cum corpore, & ut corporis, ita animi ſenſum morte eripi.

[2] In eadem ſententia ſemel fuit Cicero: inquit enim *in Orat. pro Cluentio*: *Nam nunc quidem quid tandem illi mali mors attulit? Niſi forte ineptiis, ac fabulis ducimur, ut exiſtimemus illum apud inferos impiorum ſupplicia perferre, ac plures illic offendiſſe inimicos, quam hic reliquiſſe: a ſocrus, ab uxorum, a fratris, a liberorum pœnis actum eſſe præcipitem in ſceleratorum ſedem, atque regionem: quæ ſi falſa ſunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem aliud mors eripuit, præter ſenſum doloris?* Sed id Ciceronem dixiſſe arbitror, ut cauſſæ inſerviret: aliter enim *in Lælio*, & in *prima Tuſculana* tradit, ut infra videbimus.

[3] Cato apud Sall. *ib. num.* 52. in eundem Catilinam ſic Cæſaris ſententiam redarguit: *Bene & compoſite C. Cæſar paullo ante in hoc ordine de vita & morte diſſeruit, credo falſa exiſtumans ea, quæ de inferis memorantur, diverſo itinere malos a bonis loca tetra, inculta, fœda, atque formidoloſa habere*. Hic itaque vir rigidæ virtutis exemplar meliorem Philoſophorum ſententiam amplexus eſt, animi immortalitatem, & poſt mortem cæleſtia gaudia, vel inferorum ſupplicia eſſe.

Iſta ſophis Græcis, ſcriptoribus, atque poetis,
Iſtaque Romulidis certa eſt ſententia (1). At inquit:
Quorſum pertinuit veteres ſtipare recenti
Scriptores pluteo? Fortaſſe Catonis, & Enni
Tempore, decepti hoc *Animæ* voluere priores
Addere judicium, quod nunc delere jubebit
Doctorum ampla cohors, ac ingens turma ſophorum,
Anglia quos jactat multos, & Gallia plures.
En hic Hobbeſius, Spinoſa, Tolandus, & ipſe
Bælius ut princeps, ſequitur quem cetera pubes:
Namque hic Woolſtonus pugnat, Collinius illic;
Hic cum Voltæro Ruſſòius, Helvetiuſque,
Sexcentique alii, quos non fas dicere verſu.
O claros ovium cuſtodes! Quis modo tantos
Non donat ſceptro reges, ſacraque tiara
Inſignes morum patres, legumque magiſtros?
Cur *Atheos* omnes retices, omneſque *Deiſtas*,
Symmachum, & hinc Celſum, Lucianum, Porphiriumque,
Et cum Cæcilio fugientem dogmata Chriſti
Induperatorem, fectis qui favit Apellis (2).
Atque canes alios in Cælum, Animamque, Deumque
Infami fruſtra latrantes gutture? Non hos
Autumat inſanos Chryſippi porticus, & grex (3);
Hos ego nec feriam: ſcutica, punitque flagello

Hinc

[1] Immortalitatis huius patroni plurimi occurrunt apud veteres Ethnicos Hiſtoricos, Oratores, & Poetas. Egregie Seneca: *Tunc animus noſter habebit, quod gratuletur ſibi, quum emiſſus tenebris, quibus volutatur, non tenui viſu clara proſpexerit, ſed totum diem admiſerit, & redditus cælo fuerit, quum receperit locum, quem occupavit ſorte naſcendi: ſurſum illum vocant initia ſua.* In eadem ſententia fuere Thales Mileſius, qui animum, *naturam ſemper, aut per ſe mobilem* definiit; & antiquiſſimus Philoſophus Pherecydes, atque eius diſcipulus Pythagoras; & divinus ille Plato, qui in *Phædone*, inquit: *reviviſcere homines, atque ex mortuis viventes fieri: mortuorumque animas ſupereſſe, atque bonis quidem melius, malis vero deterius eſſe.* Magos etiam huius ſententiæ fuiſſe teſtatur Diog. Laert.

[2] Imperator, ſcilicet, Iulianus Apoſtata, qui plurimum Hebræis favit, & cum ceteris paullo ante nominatis in Chriſtianam Religionem acerbiſſime pugnavit &c.

[3] Porticus, Græce στοὰ, ſignificat Scholam Stoicam, eo quod in porticu deambulantes Zeno eius auctor, ac deinceps alii philoſopharentur. *Chryſippi* hic vero dicitur, quod eam fulcire putabatur, ut ait Tull. *Acad. qu.* Vid. Horat. *lib.* I. *Sat.* III. *ver.* 127. & *lib.* II. *Sat.* III. *ver.* 44.

Hinc hinc Juſtinus, necnon Athenagora; & inde
Fortia Gregori, Tatiani, & Origenis arma,
Et cum Cyrillo pleno Chryſoſtomus ore,
Et Nazianzenus, quotquot fert Græcia Patres.
Poſthac Minutius Felix, Lactantius, atque
Hinc Cyprianus, ibi docta Prudentius arte,
Et Tertullianus, fortiſque Arnobius: hiſque
Præminet, & telis fulget cæleſtibus unus
Thomas; quique tulit priſcis, & tela futuris
Hoſtibus, heu nullo Auguſtinus munere linguæ
Sat celebrandus (1)! Habes, demens, quos ponere contra?
Hi lingua, & ſcriptis, proprio quin ſanguine, ſi fas,
Et coram ducibus ſceleratis dogmata noſtræ
Defendunt fidei, & Divi documenta Magiſtri.
Nunc ad me redeo: libabo proxima cauſſæ.
Scilicet omnis homo periet, nec perfida parcet
Mors animæ? Cur ni? *Cum corpore ſpiritus unum eſt:*
Ipſaque materies (voluit fortaſſe Deus ſic)
Cogitat. Ipſe Deus motum, vitamque, modoſque
Corporibus ceſſit: Cur non ita conſilium? Nam
Hoc non poſſe Deum, ſumma hæc injuria dictu eſt (2).
O inter ſocios incorruptiſſimus omnes!
Cur, ſi te potuit, non tete fecit aſellum?

Iſta

(1) Valſecchius *de Fundam. Relig. & de Font. Impiet. lib.* I. *cap.* I. *num.* 5. poſtquam hoſtes omnes Religionis ſingulos accuratiſſime enumeraverit, hæc de eius defenſoribus ibidem attulit: *Suſcepit certamen hoc, quod per aliquot ſæcula incruduit, ut retunderet robur, fraudeſque detegeret hoſtium adeo potentium, doctorum hominum Græcorum, Latinorumque illuſtre agmen. Videas inter hos Iuſtinum Martyrem, Tatianum, Athenagoram, Theophilum Antiochenum, quorum extant nobiles Apologiæ. Sequuntur Origenes, tum Euſebius Cæſaræenſis, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, Iuliani Imperatoris adverſarius acerrimus. Inter Latinos eminent Tertullianus, Cyprianus, Minutius Felix, Arnobius, Lactantius, Prudentius, & ne alios nominem, Auguſtinus.* Quantum huiuſmodi homines [quos meliori modo verſibus incluſimus] poſſint & valeant, *ii tantum ignorant, qui eorum opera aut legerunt nunquam, aut lecta non intellexerunt.*

[2] Volter. *Metaphiſ. Prim. Part. chap.* 6. ſic ait: „ La penſée, il eſt vrai, „ ſemble n' avoir rien de commun avec „ les attributs, que nous connoiſſons „ dans l' être etendu, qu' on appelle corps; mais connoiſſons-nous toutes les proprietes des corps? C' eſt „ une choſe, qui paroit bien hardie, „ que de dire à Dieu: vous avez pu „ donner le mouvement, la gravitation, „ la vegetation, la vie à un être, & „ vous ne pouvez lui donner la penſée.„ Ineptam ſcilicet a poſſe ad eſſe deducit conſequentiam: quæ ſi valeret, eſſet iam aſinus.

Iſta videtur, ais, tibi nunc injuria? Non pol:
Namque aliter tardo peragrares compita motu
Quaternis pedibus, longis ac auribus. Ergo
Quæ ſua ſpiritibus, ſua quæ Deus artubus, addit:
Sic non miſta tulit pariter quadrata rotundis (1).
 Adſpice queis armis tua mox quæſita reſolvam.
Corpus ſi pro te eſt, non mens quæ cogitat; hercle
Tot ſibi deſumet corpus, quot continet in ſe.
Pars capiet partem minimam, grandemque, minoremque
Ut minor, aut minima, aut ingens ea pars fuerit: nam
In partes varias corpus diſcinditur omne (2).
Hinc fas eſt navim pelagi jam cernere in undis.
En proram, puppim, malum, longamque carinam, &
Cornua velatarum cernimus antennarum:
Menſque rarem totam, lymphas mens concipit omnes;
Immo alias naves, alias meditabitur undas:
Atque poteſt: variis quod non mens ipſa ſecatur
Partibus. At corpus quidnam meditatur? Et is quid
Percipis, hanc pedibus dum tu perpendis? Inepte,
Unica velati perpendis cornua mali.
Quod non dividitur mens una intelligit ergo.
 Præterea corpus ſi quid meditatur; ab ipſis
Par eſt corporeis repetantur ſenſibus omnes

Sem-

(1) Valſecch. loco cit. *cap.* IV. *num.* 8. ſic habet: *Quum dicimus inter cogitationem & materiam contradictionem intereſſe, conſugi haud amplius poteſt ad occulta attributa, quæ corporibus eſſe poſſunt. Neque eſt amplius* temerarium, *ſed ſolum minus* conveniens *aſſerere, Deum materiæ cognitionem impertiri non poſſe; quum potius dicendum ſit, eam huius attributi capacem non eſſe. Licet in circulo eſſe poſſint occultæ qualitates; hæ tamen nunquam in cauſſa erunt, ut dubitem, num ille poſſit eſſe quadratus: neque* temerarium *exiſtimabo unquam eſſe dicere, non poſſe circulum ab omnipotenti Deo habere quatuor angulos rectos, qui quadrati ſunt proprii. Quid ita? quia inter proprietates circuli mihi notas, & proprietates quadrati interiacet contradictio.*

(2) Argumentum hoc ex D. Thoma deſumptum eſt, quum oſtendit ſubſtantiam intellectualem non eſſe corpus. Ait enim *lib.* II. *cont. Gent. cap.* 49. *Nullum corpus invenitur aliquid continere, niſi per commenſurationem quantitatis: unde & ſi ſe toto totum aliquid continet, & partem parte continet: maiorem quidem maiore, minorem autem minore: intellectus autem non comprehendit rem aliquam intellectam per aliquam quantitatis commenſurationem, quum ſe toto intelligat, & comprehendat totum, & partem; maiora in quantitate, & minora. Nulla igitur ſubſtantia intelligens eſt corpus.*

Digitized by Google

Semper opes. Oculi lucem, cernuntque colores:
Una ſibi varios deſumit lingua ſapores:
E manibus pendet, totoque e corpore tactus:
Vis & odora ſubeſt unis jam naribus: atque
Argumenta ſoni veniunt demiſſa per aures.
Quilibet hæc igitur repetet, ſed ſingula, ſenſus (1).
An ſic vivit iners, ſibi mancus, debilis, excors
Spiritus, ut carptim, paullatimque adſpiciat res;
Non autem cunctas minimo vel temporis ictu
Percipiat? Judex geminat res, dividit, æquat,
Et tentat cæcas naturæ expromere cauſſas:
Is potis eſt junctim, quæ ſint, oſtendere vires:
Angulus obtuſus qui ſit, rectuſque, & acutus;
Qui ſinus, & tangens; his ſphæram atque adjice conum.
Quin noſcit flumen tibi cur te oſtendat eunti:
Cur celeri motu lumen percellat ocellos;
Contra ſonus lento ſiſtat mox auribus: & cur
E ſpeculo in ſpeculum veniat geminata ſupellex:
Cunctaque ſcit junctim (2), repetit quæ ſingula ſenſus.
Aſt hæc, forte inquit, *norunt animalia ſilvis* (3).

Quis

(1) *Quum cerebrum*, ait Valſecch. mox cit. *num.* 10. *variis e partibus componatur, ſicut quælibet percipit peculiarem unius tantum organi impreſſionem, ita etiam unam tantum ſingularem ſenſationem perciperet: ac proinde nihil ſciret de ſenſatione alterius: tantumque abeſſet, ut illa poſſet ſenſationes alterius partis collationem iudiciumque facere, quantum abeſt, ut oculus iudicare de ſaporibus poſſit, de lumine auris.*

(2) Anima profecto uno eodemque tempore omnes ſenſationes colligit, eas confert diſtinguitque: quæ quidem facere non poſſet, niſi eſſet quid ſimpliciſſimum, individuum, unum; verbo, niſi eſſet ſubſtantia ſpiritualis. Pulcherrime igitur ad hæc Cicero *lib.* I. *Tuſc. Quæſt.* de Animo, ait: *Quid quod eadem mente res diſſimillimas comprehendimus, ut colorem, ſaporem, calorem, odorem, ſonum? quæ nunquam quinque nuntiis animus cognoſceret, niſi ad eum omnia referrentur, & is omnium iudex ſolus eſſet.*

(3) Helvetius in libro ſuo *de l'Eſprit*, quem melius de *materia* nuncupaſſet, *Diſcourſ.* I. *Chap.* I. ait: „ Nous avons „ en nous deux facultées, ou ſi je l'oſe „ dire, deux puiſſances paſſives, dont „ l' exiſtence eſt généralement & diſtin„ ctement reconnue. L' une eſt la fa„ culté de recevoir les impreſſions diffe„ rentes, que ſont ſur nous les obiets „ exterieurs; on la nomme *ſenſibilité* „ phyſique. L' autre eſt la faculté de „ conſerver l' impreſſion, que ces obiets „ ont fait ſur nous: on l' appelle *me„ moire*: & la memoire n' eſt autre cho„ ſe, qu' une ſenſation continuée, mais „ effoiblie. *Et paullo poſt*: Ces facultés, „ que je regarde comme les cauſes pro„ ductrices de nos penſées, & qui nous „ ſont communes avec les animaux, ne „ nous occaſioneroient cependant, qu'un „ très-petit nombre d' idées, ſi elles n'è„ toient jointes en nous à une certaine

„orga-

Quis non, Helveti, dicet te cannabe dignum?
Verbera ſi ſentit mulus, vel equus; ſimul ipſe
Percipit iratæ quæ ſit conſtantia dextræ?
O aſinorum, atque excellens ſapientia equorum!
Aſt utcumque hæc ſint, hæc paullum ſic ago tecum.
Si humanæ mentis cedis tu commoda aſello;
Protinus hic ſapiens intelliget: adde columbis
Senſus, atque hominis vires; erit apta columba.
Si te igitur mulum facerent pia numina; mulos
Inter tu poſſes non inconcinnus haberi (1).
Heu procul eſto homines, ne vos Helvetius atris
Jam mulus feriet, findit dum calcibus auras!
Quin ego pejores brutis hos dico homines. Nam
Dum cupiunt, minctum vadunt, vaduntque cacatum
Bruta; & edunt, currunt, ſiſtunt, volvuntur arena.
Aſt hi dum mentem ſubjectam materiei (2)
Optant, & phyſicis ſuppoſtam legibus; anne
Mente ſua, aut minima tunc libertate fruuntur?
Liber enim quæ odit, renuit; quæ diligit, optat.
His poſitis, pereant, conſtant quia partibus, ægra
Corpora viventum, fati patiantur & arma:
Non anima, æternis vivet quæ legibus, & quæ

S (Sic

„ organiſation exterieure. „ Nonne autem hæ notiones *potentiarum paſſivarum, & cauſſarum productricum* invicem opponuntur?

[1] Sed ne aliud addamus, videamus quid de hac quæſtione ſenſerit Auguſtinus, quo auctore nemo melior graviorque debet exiſtimari. Ait enim lib. de *Vera Religione* cap. XXIX. *Sed quia irrationabilia quoque animantia vivere, atque ſentire nemo ambigit; illud in animo humano præſtantiſſimum eſt, non quo ſentit ſenſibilia, ſed quo iudicat de ſenſibilibus. Nam & vident acutius, & ceteris corporis ſenſibus acrius corpora attingunt pleraque beſtiæ, quam homines: ſed iudicare de corporibus, non ſentientis tantum vitæ, ſed etiam ratiocinantis eſt, qua illæ carent, nos excellimus. Iam vero illud videre facillimum eſt, præſtantiorem eſſe iudicantem, quam illa res eſt, de qua iudicatur. Non ſolum autem rationalis vitæ de ſenſibilibus, ſed de ipſis quoque ſenſibus iudicat: cur in aqua remum infractum oporteat apparere, quum rectus ſit: & cur ita per oculos ſentire neceſſe ſit. Nam ipſe adſpectus oculorum renuntiare id poteſt, iudicare autem nullo modo. Quare manifeſtum eſt, ut ſenſualem vitam corpori, ita rationalem utrique præſtare.* Vid. eund. *lib.* II. *de Liber. arbit. cap.* 3. & 4.

(2) Libertas, quæ facultas eſt ſe movendi, quieſcendi, agendi, eligendi &c. non eſt hominis attributum materiæ, ſed ſubſtantiæ a materia diverſæ, quam dicimus eſſe *Spiritum*. Quare ſi materiæ detur facultas cogitandi, iam homines libertate carent, belluiſque peiores fiunt.

(Sic placitum Divo) ſimplex duntaxat, & una eſt (1).
At ſi floreſcet venienti ſpiritus ævo,
Stellatas poſcet ductus ſuper æthera ſedes?
Anne gemens longum ſtygiæ loca fœtida, & umbras
Expetet inferias? Nil dictis amplius addam:
Præmia virtuti, vitio ſtant undique pœnæ:
Præmia ſed creſcunt, decreſcunt ordine pœnæ,
Ut creſcit virtus, vitium decreſcit. Et unde
„Tantus amor nihili? Tanta eſt vecordia? Solum hoc
„Permetuunt cæci, ne mens compage ſoluta
„Duret adhuc nimium vivax, buſtoque ſuperſtes
„Evolet (2). „ Haud etenim duplices poſt funera calles
Ignorant. Quid enim vates? „ *Exinde per amplum*
„*Mittimus elyſium, & pauci læta arva tenemus.*
Clarius eſtne aliquid? Putentia guttura claude,
Ne tibi ſulphureas exhalent ora mephites (3).
Nunc mihi, Muſa, ſacri ſublimi a vertice montis
Fer vati auxilium. Nec enim facilis mihi res eſt,
Perverſos hominum mores ſub vulpe latentes,

Im-

---

[1] Quare cum Cicerone concludendum, qui lib. I. *Tuſcul. diſput. cap.*29. hæc habet: *In animi autem cognitione dubitare non poſſumus, niſi plane in phyſicis plumbei ſumus, quin nihil ſit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod quum ita ſit, certe nec ſecerni, nec dividi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt: nec interire igitur. Eſt enim interitus quaſi diſceſſus, & ſecretio, & direptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur.*

[2] Anti-Lucretii ſunt hæc carmina *lib. V.* Et Lucret. ipſe *lib.* I. *ver.* 108. *& ſeq.* ſi homines, ait, animam credunt immortalem, debent etiam ſemper trepidare:

Et merito: nam ſi certum finem eſſe viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque minis obſiſtere vatum:
Nunc ratio nulla eſt reſtandi, nulla facultas:
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Quare fides hæc immortalitatis, metuſque mortis penitus (ait *lib.* III. *ver.* 37. *& ſeq.*) e corde evellantur, neceſſe eſt:

Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia ſuffundens mortis nigrore, nec ullam
Eſſe voluptatem liquidam, puramque relinquit.

[3] *Mephitis* eſt Iuno aeri corrupto præſidens; cui ædes apud Hirpinos fuit ad lacum Amſancti *ex Plin. lib.* II. *cap.* 93. & apud Cremonam *ex Tacit. Hiſtor. lib.* III. Hic *Mephitis* pro ipſo putore ſumitur, ut Vulcanus pro igne. Vid. Virg. lib. VII. *Æneid. ver.* 84. & Perſ. *Sat.* III. *ver.* 99.

Improbitate omnes, ſcelerato & crimine peſtes,
Atque faces urbis ſuperantes, plectere. Non hi
Inſidias patriæ tendunt; non civibus atras
Innectunt fraudes. Redivivi bella gigantes
Indicunt cælo: eſſe negant ſuper æthere Numen.
O ſcelera! O fraudes! Eſto mihi, Muſa: favente
Te mihi, tam durum adgrediar bellum: Duce ſic te,
Arguto has capitum detergam pectine ſordes.
Eſt homo quoddam animal, fortes cui perdere gentes,
Subdere regna ſibi, vel debellare tyrannos;
Jam nihil in pretio eſt. Neptuni viſcera aquoſi,
Et tentare jubet celſi penetralia cæli.
Pennis non homini conceſſis Dædalus aera
Expertus vacuum: ſubductum ſedibus ignem
Fraude mala æthereis, terris tulit ipſe Prometheus:
Et labor Herculeus rumpens acheronta, paludem
Concuſſit ſtygiam. Satis hæc nec viſa viris ſunt.
Sublimes hominum repſere immania montes
„Corpora, qui manibus magnum reſcindere cælum
„Adgreſſi, ſuperiſque Jovem detrudere regnis (1).
Fabula narratur? Mutato at nomine, vera
Bella Deo indicunt hac tempeſtate gigantes.
En quas Porphyrion, vel quas blaterare Typhœus
Germanas audent gerras (2). *Perfectio mundi*,
Unus ait, *ſpecieſque poli non quippe Tonantem*
Jam ſatis oſtendunt: homines namque undique multa
Damna premunt. Pulcri & ſi quid reperitur in orbe,
Fortuitus potuit (cur non?) adducere caſus (3).

 Quis

(1) Modo contra illos denique pugnandum eſt, qui Dei negant exiſtentiam; & ſine fabula illud contra Deum bellum ſuſcepiſſe videntur, quod contra Iovem Gigantes quondam experti ſunt. Quare nomine *Typhœi*, *Porphyrionis*, *Enceladi* &c. intelliguntur illi homines audaciſſimi, qui in Deum impiis ſententiis pugnavere.

(2) *Gerræ* crates erant vimineæ, ſeu ſcuta e viminibus texta, a verbo Græco γέῤῥα: hic autem pro nugis, rebuſque frivolis accipiuntur. Sic Plaut. *Pœn.* *Tuæ blanditiæ mihi ſunt*, *quod dici ſolet gerræ germanæ*: hoc eſt, meræ nugæ. Vid. Auſon. ad *Symmach.* Feſt. ipſumque Plaut. *Aſin.* 3. 3. 10.

[3] Mopertuiſius *Eſſai de Coſmologie*, Ordinem, ait, ac perfectionem huius Mundi, quæ tanta omnes admiratione affecerunt, minus idoneas eſſe, ut Deum nobis oſtendant; non ſolum ob malorum permixtionem, quæ viventes experimur; verum etiam quod aliqua probabilitate *Accidens*, aut *Caſus* adduci poteſt.

Quis negat ex tripode hæc Phœbum dictaſſe! Quid alter?
Non meta jam phyſicis Atheiſmus pellitur unquam,
Sed phyſicis tantum Newtoni legibus actum eſt,
Ne mundus poſſit Deus immortalis haberi (1),
Qui vim, *quique polos*, *qui*, *ut machina*, *pondera jactat*.
Stultitia natura pares quos protulit unquam?
Sed te, Porphyrion, primum mea carmina poſcunt.
Scilicet hæc rerum ſpecies, perfectio mundi
Non retegit Numen, ſupremum haud exhibet *Ens*? At
Si quis ſub terris (magnis rationibus ipſe (2)
Utar Ariſtotelis) poſita latuiſſet in æde,
Quæ dives, variiſque foret præcincta tabellis,
Sed caput haud unquam ſuperas retuliſſet in auras;
Audiſſetque tamen, quid Numen, vimque Deorum
Cuncta movere poli terræque hic indeque nutu:
Faucibus hinc clauſæ patefactis illico terræ,
Extollenſque caput ſtellatum cernere olympum
Poſſet, vimque noti, nubes, varioſque planetas,
Creſcentemque brevi lunam, ſolemque micantem,
Et varios pelagi curſus, varioſque recurſus,
Atque urbes, ſilvas, fluvios, ſedeſque, domuſque;

Non-

(1) Anonymus auctor in libro *A la Haye* 1746. §. 17. 18. cuius titulus: *Penſées Philoſophiques*, hæc ineptiſſime ſcripſit: „ Ce n'eſt pas de la main du Metaphyſicien, que ſont partis les grands coups, que l'Atheiſme reçut: Ce n'eſt pas que dans les ouvrages de Neuton, de Muſchembroeck, de Nieuventit, qu'on a trouvé des preuves ſatisfaiſantes d'un Etre ſouverainement intelligent. Graces aux travaux de ces grands hommes: Le monde n' eſt plus un Dieu: c' eſt machine qui a ſes poulies, ſes reſſorts, & ſes poids.

(2) Ut vero pateat ſine phyſicis argumentis Dei exiſtentiam intelligi poſſe, ac comprobari, ſatis erit, ſi Ariſtotelis verbis hic utamur. Ait enim præclariſſimus vir: *Si eſſent*, *qui ſub terra ſemper habitaviſſent*, *bonis & illuſtribus domiciliis*, *quæ eſſent ornata ſignis atque picturis*, *inſtructaque rebus his omnibus*, *quibus abundant*, *qui beati putantur*, *nec tamen exiſſent unquam ſupra terram*: *accepiſſent autem fama & auditione*, *eſſe quoddam Numen*, *& vim Deorum*: *deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus ex illis abditis ſedibus evadere in hæc loca*, *quæ incolimus*, *atque exire potuiſſent*: *quum repente terram*, *maria*, *& cælum vidiſſent*, *nubium magnitudinem*, *ventorumque vim cognoviſſent*, *adſpexiſſentque ſolem*, *eiuſque tum magnitudinem pulcritudinemque*, *tum etiam efficaciam cognoviſſent*, *quod is diem efficeret*, *toto cælo luce diffuſa*: *quum autem terras nox opacaſſet*, *tum cælum totum cernerent aſtris diſtinctum & ornatum*, *lunæque luminum varietatem tum creſcentis*, *tum ſeneſcentis*, *eorum ortus & occaſus*, *atque in omni æternitate ratos immutabileſque curſus*; *hæc quum viderent*, *profecto & eſſe Deos*, *& hæc tanta opera Deorum eſſe arbitrarentur*. Vid. Cic. qui lib. II. de *Nat. Deor. num.* 37. fuſius hæc agit. Sap. *cap.* XXIII. *ad Rom. cap.* I. &c.

Nonne oculis viſuque diu ſtupefactus; olympi,
Diceret, hæc cernens, opera eſt confecta Deorum?
Quodque Sophus cæca ortus tempeſtate fatetur,
Id modo tu renuis claro hoc in lumine natus?
Quid? Mala tu opponis? Scabies te perdere poſſit!
Ecquis lance pari bona tot, tot damna pependit,
Ut ſic ante bonis merito ponenda putaret
Damna hominum? Noſtræ numeraſti commoda vitæ (1),
Florentes annos, requiem, ſonituſque, viceſque
Officii & ſtudii, alternæ quin munera caræ
Mutua amicitiæ, choreaſque, jocoſque theatri,
Cetera, quæ jactant mortales ordine? At eſto:
Cuncta Deus tibi dat, valeas ut tu eſſe beatus.
Quid cupis? Anne oculos poſſis quo cernere acutum?
Sed dum tu minimas tineæ ſub pectore venas
Cernis, & exta, movent quæ jam faſtidia Coſſo;
Haud poſſes ſpeciem lucentis cernere olympi (2).
Vis audire procul compreſſis dicta labellis?
Sed ſtrepitu hinc minimo mortis fera fata timeres;
Nec zephyri, aut ſonitus guſtares murmura. Adunco
Vis rerum tenues naſo tu carpere odores?
Copia tum naris, myrtus, violaria, molli,
Ceu miſſa officerent violenter tela, cerebro.
Optas quid tandem? Demens, heu deſine! Naſum
Qui canibus dat, cervis crura, leonibus aures,

Hæc

[1] Commoda hæc, & vitæ bona a pleriſque Metaphyſicis enumerantur. Satis eſt ſi vel unum conſulas Anton. Genuenſem, qui bona omnia malis excellentia inito calculo meritus eſt.

(2) Quanto conſilio hominum ſenſibus proviſum eſt, vix dici poteſt. Eos ita natura poſuit, ornavit, tutata eſt, ne dum ſuis officiis fungerentur, vel minima unquam parte ab externis obiectis læderentur. Cic. de *Nat. Deor.* lib. II. num. 57. ſic de oculis ſcripſit: *Palpebræ, quæ ſunt tegumenta oculorum, molliſſimæ tactu, ne læderent aciem: aptiſſime factæ, & ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & ad aperiendas; idque providit* (natura) *ut identidem fieri poſſet cum maxima celeritate. Munitæque ſunt palpebræ tanquam vallo pilorum, quibus & apertis oculis, ſi quid incideret, repelleretur: & ſomno conniventibus quum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui tanquam involuti, quieſcerent. Latent præterea utiliter, & excelſis undique partibus ſepiuntur. Primum enim ſuperiora ſuperciliis obducta ſudorem a capite & fronte defluentem repellunt: genæ deinde ab inferiore parte tutantur ſubiectæ, leviterque eminentes. Naſus ita locatus eſt, ut quaſi murus oculis interiectus eſſe videatur.* Ceterorum ſenſuum commoditatem *id. ib.* graphice deſcripſit.

Hæc tibi, imago Dei quum ſis, ſua dona negaret?
Omnia quæ cernis, mare, terram, ac undique cælum,
Cuncta voluptati voluit ſubjecta virorum (1).
Anne ideo franget decreto ex ordine leges,
Utque tibi placeat, rerum communia perdet?
Immo elementa hujus ſecum pugnantia mundi,
Mortiferi gentem plectentes cæde vapores,
Et terræ motus inhumantes cum urbe colonos,
Bellaque ventorum, tempeſtateſque profundi
Marmoris, & peſtes, rerum & certamina, quæ jam
Cardine naturam minitantur frangere ab imo;
Quin febres hominum, tuſſis, pituita, chiragra,
Et laterum dolor, & membris ſimul ulcera, & ipſi
Quippe doli, & fraudes, & culpæ, & crimina; cuncta hæc
Æternis parent ſupremi legibus *Entis* (2).
His quæ clara magis? Num parva, aut non tibi ſat ſunt?
Stercoreis utinam poſſes conſiſtere cryptis;
Sic ea felicem faceret te copia! At inquit:
Hæc caſus retulit, ſupremi haud ſpiritus Entis.
Quid tu commendas Epicuri dogmata, queis tu
Nunc uti neſcis, fruſtraque tibi ſapiens es?
Scilicet axe micant *caſu* tot ſidera, circum
Quæ cælo admiſſum deſcribunt ordine curſum,
Nec ſeſe tangunt, varios nec tramite longo
Corripiunt calles, ellipſim dum vaga motu
Perficiunt æquo? *Caſu* ſuper axe cometæ,
Pondera quum ſuperat radiantis corporis ictus (3),

Jam

[1] Geneſ. *cap.* I. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.*

[2] Ariſtoteles, quem legum, politiceſque patroni omnes ſequuti ſunt, elegantiſſime ait *lib. Polit.*: *Ad prudentem Gubernatorem pertinet, negligere aliquem defectum bonitatis in parte, ut faciat augmentum bonitatis in toto.* Et Aug. *Enchirid. cap.* XXVII. *Melius enim iudicavit de malis benefacere, quam mala nulla eſſe permittere.* Nonne inde maxima Dei iuſtitia admiratur? Ait enim idem Auguſt. lib. *ſentent. ſent.* 300. *Non dubitandum eſt eſſe juſtum, etiam quando fuit, quod hominibus videtur iniuſtum.*

(3) Clarck. ſuper. cit. ita de cometis loquitur: *Quod ſi autem motus proiectilis iam nimium multum exceſſerit vim gravitatis, ellipſis, in qua planeta feretur, enormiter excentrica, valdeque longa fiet; atque huiuſmodi planeta appellatur cometes.*

Jam magis oblongam deſignant orbe figuram,
Quæ merito Phyſicis dicta eſt *excentrica? Caſu*
Quot quot prolato viſentur corpora cælo,
Legibus obſcuris, ſed certis, ſol rapit ad ſe?
Sicne polus terris, pelagus ſic æthere diſtat;
Anne locum retinent præſcriptum quæque decenter (1)?
  Aſt audi tandem quæ adverſa parte reponam,
Longior ut ne ſim. Si te non ſuaſerit hæc res,
Tunc ſine rivali teque, & tua ſolus amabis.
Omnia, quæ cernis, firma ſunt arcta catena;
Atque mare, & tellus, & vaſti corpora cæli,
Ne dicam, piſces, volucres, terræque coloni,
Sic æque diſtant, retinent ſic ordine partes;
Annulus ut ſi unus frangatur, protinus omnis
Evadit mundus rudis indigeſtaque moles.
Sic de vorticibus (tacitis ubi legibus æquo,
Sed vario motu lucentque rotantque planetæ)
Si poſitos fines e centro præterit unus,
Vertice deque ſuo tranſcurrens exeat; eheu
Quot ſecum labens affert ſine lege ruinas!
Lucentemque globum lunæ, & titania ſigna
Cuncta trahit peſſum: commota e cardine tellus
In chaos hinc rediet: confuſaque ſolibus aſtra
Illico labuntur: naturaque flebilis, excors,
Jam moritura, Deo terrorem nuncia captum
Fert ſummo. Tantum ſeries, juncturaque pollet!
Tantum depoſcit rerum concordia diſcors (2)!
  Atque hæc ſunt *caſus*, non Divi munera? Sed vos,

Eja

[1] Cicero de *nat. Deor.* lib.II. num. 44. *Hæc omnis deſcriptio ſiderum, atque hic tantus cæli ornatus ex corporibus huc & illuc caſu & temere concurſantibus potuiſſe effici, cuiquam ſano videri poteſt? Aut vero alia quæ natura mentis & rationis expers, hæc efficere potuit, quæ non modo ut fierent, ratione eguerunt, ſed intelligi qualia ſint ſine ſumma ratione non poſſunt?*

(2) Cic. *ib.* num. 45. *Nec vero hæc ſolum admirabilia, ſed nihil maius, quam quod ita ſtabilis eſt mundus, atque ita cohæret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem poſſit aptius. Omnes enim partes eius undique medium locum capeſſentes nituntur æqualiter: maxime autem corpora inter ſe iuncta permanent, quum quodam quaſi vinculo circumdato colligantur: quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & convertit extrema.*

Digitized by Google

Eja agite, o *monades*, caſu concurrite: junctim
Ferte opus immenſum: mundos vos condite. Quid fit?
Multa laborantes non exit machina rupis (1).
  Anne Deum renuis, nequeat quod lumine cerni?
Aſt nec tu cernis quo vultu, fronte, capillo
Eſt anima: ipſa tamen mores phyſicamque virorum
Rem regit, & nutu parentes commovet artus (2).
Quid *caſus* ergo, & *monadum* vocabula jactas,
Huic quæ (vera loquor) ſine re ſunt nomina cauſſæ?
  At nunc te poſcet brevius mea Muſa, Typhæe.
Vin' tu mechanicæ, caſuſque inſiſtere adhuc vi?
Non, ait: At *phyſicis Newtoni legibus actum eſt*,
Ut Deus exiſtat, ſed non ceu machina quondam.
  Quos non infecit peregrina ſcientia mores!
Atque hac quæ fulget major petulantia! Nullo
Scilicet ante viri noverunt jure, gravique
Æternum mundo ratione exiſtere Divum (3)?

Hæc

[1] M. Helvetius *de l' Eſprit. Diſc.* III. *Chap.* 9. in veram creationem hæc habuit: „ Il ſemble, que dans l' univers moral, comme dans l'univers phyſique, Dieu n' ait mis, qu' un ſeul principe dans tout ce qui a *été*. Ce qui eſt, & ce qui ſera, n' eſt qu' un developpement néceſſaire. Il a dit à la matière: je te donne de la force. Auſſitôt les élémens ſoumis aux loix du mouvement, mais errans & confondus dans les deſerts de l'eſpace, ont formé milles aſſemblages monſtrueux, on produit mille chaos divers, juſqu'à ce qu'enfin ils ſe ſoient placés dans l' equilibre & l' ordre phyſique; dans le quel on ſuppoſe maintenant l' univers rangé. „ Quam opinionem iam antea confutaverat idem Cic. *ib.* num. 37. *Iſti autem quemadmodum aſſeverant ex corpuſculis non colore, non qualitate aliqua, quam* ποιότητα *Græci vocant, non ſenſu præditis, ſed concurrentibus temere atque caſu, mundum eſſe perfectum? Vel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios naſci, alios interire? Quod ſi mundum efficere poteſt concurſus atomorum; cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non poteſt, quæ ſunt minus operoſa, & multo quidem faciliora? Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem cæli ornatum, qui locus eſt proximus, ſuſpexiſſe videantur*. Quod autem hæc omnia non caſu, ſed Providentia dirigantur, teſtis eſt Cicero *Tuſc. quæſt.* I. 14. de *Divin.* II. 72. *de Nat. Deor.* II. 38. Sed legi poſſunt Stob. & Plutarch. *de Ira Numinis* apud Lactan. & Arnob. de *ſera Numinis vindicta*. Vide denique Dheram. *de Dei exiſtentia*, & lib. cui tit. *Spettac. della Nat.* Quid igitur de clariſſima cauſsa dubitandum, aut ſine conſilio definiendum? *Maximum hoc vitium eſt* [ait Franciſ. Bacon.] *dubitandi impatientia, & decidendi feſtinatio*.

[2] Vid. Cicer. *pro Milone num.* 31. qui Clodii mortem a divina repetens voluntate, hoc argumentum elegantiſſime pertractavit.

[3] Valſecch. pluries cit. *lib.* I. *cap.* II. *num.* 3. contra hanc ſententiam, & quidem audaciſſimam, ſic exclamat: *Vah ſtupiditatem! vah petulantiam! Priuſquam*

Hæc nec Ariſtotelis, Tullj, nec verba Catonis,
Nec Romanorum, Grajumque hæc verba ſophorum,
Cælo tot ſæclis qui concinuere Tonantem.
Anglia nos felix, tellus nos Belgica fecit
Noſcere poſſe Deum? Certum nihil antea? Et omnes
Nos *Athei*? Meritas potis eſt quis reddere grates
Hiſce viris, pluresque tibi, doctiſſime Præco?
Anne Sophis demens ſic aſſentaris? Inepte,
Mens tua te fallit: cuperent hac laude carere.
Anne mathematicus quo ſis phyſicuſque Magiſter?
Viveret hoc ævo ſi fors Newtonus, haberet
„Magnum adjutorem, poſſet qui ferre ſecundas!
 Non tamen inficior, doctos, celerique Minerva
Egregios homines melius potuiſſe Dei vim
Noſcere. Cujus enim plures, velut agmine facto,
Noſcuntur dotes animi; tunc illius ultro
Ad captum alterius mentis perfectio fulget (1).
Sed numquid cæci omnes, num tardi, balatrones,
Atque adeo ignari, nihil ut dignoſcere poſſint?
Cernere cuiquam, ſatque audire eſt. Non ego civem
Hic quæro inſignem titulis & imaginibus; nec
Qui doctus didicit Criſpini ſcrinia Lippi (2):

 Ru-

quam ergo in lucem prodiret Newtonius, aut Nieuventitius non enarrabant Cæli gloriam Dei, & opera manuum eius firmamentum non enunciabat? Priuſquam ergo horum doctorum libri ederentur, carebant homines evidenti argumento exiſtentiæ ſummi Dei? Ergo per decem & octo ſæcula ignorarunt homines, mundum non eſſe Deum, ſed Machinam ponderibus, menſuriſque libratam, ita ut ad docendum humanum genus veritatem hanc, quam Phyſica, & Metaphyſica ſcientia nondum docere potuerant, neceſſe eſſet, ut in Anglia, & in Fœderato Belgio tres illi Philoſophi exorirentur? Equidem mihi perſuadeo, fore ut docti illi viri, ſi viverent, laudem hanc profectam ex nimia mentis cæcitate, ne quid acerbius dicam, læto animo non ferrent.

(1) Docti quidem non ſolum a ſyſtemate planetario &c. Dei, ut ceteri homines exiſtentiam argumentantur, ſed intelligunt etiam, ſine principio activo, quod quidem ſolum a Deo haberi poteſt, motus planetarum agi non poſſe. Quare Newton. *lib.* II. *princip. prop.* 52. *corol.* 4. ſic habet: *Proinde ad conſervationem vorticis conſtanter in eodem movendi ſtatu, requiritur principium activum, a quo globus eandem ſemper quantitatem accipiat, quam imprimit in materiam vorticis. Abſque tali principio neceſſe eſt, ut globus, & vorticis partes interiores propagantes ſemper motum ſuum in exteriores, neque novum aliquem motum recipientes, tardeſcant paullatim, & in orbem agi deſinant.*

(2) Natura ipſa ducimur, ut Deum cognoſcamus. Cic. *ib. num.* 6. *Chryſippus quidem, quamquam eſt acerrimo ingenio; tamen ea dicit, ut ab ipſa natura didiciſſe, non ut ipſe reperiſſe videatur.*

Si

Ruſticus, & nulla præfulgens arte Minervæ,
Quive rudis ſaltem calcat veſtigia plebis,
Eſt ſatis æternum dignoſcat Numen. Et hercle,
Quis ſeipſum noſcens de ſe non iſta loquetur:
En ego ſum vivus. Vita ergo aliunde data eſt. Nam
Ex nihilo nihil: hæc ſunt non ignara popello. At
Quis, niſi me genuit pater? & patrem, niſi avus, quis?
Ecquis avum? quis dein atavum? Sic quæſtio, donec
Calculus (at nullis algebræ legibus actus)
Ad primos veniat mortali ex ſemine patres.
Sed quis Adam genuit? vi qua, qua mente creatus?
Extitit ergo unus nullo jam ſemine cretus,
Qui nec habere parem potuit, nec quippe ſecundum;
Vis pollens, motrix, animans, mortalia cuncta
Ipſa regens, animas etiam, & ſine corpore mentes.
Scilicet æternus Deus eſt, qui legibus æquis
Imperat; utqua fuit, ſæclis erit ipſe futuris (1).
En modo ſilveſtres plantas, vegetantia cernit
Corpora, virgulta, & flores, & prata bubulcus.
Quis propriis ſubito viduavit floribus herbas?
Quis truncis frondes rapuit recedentibus annis,
Arboribuſque comas? Proh Di! Querceta quid inde
Floreſcunt iterum? rami, plantæque vireſcunt?
Undique cuncta micant, pinus, ficuſque, piruſque,
Myrthus cum violis, miſtuſque roſis hyacintus,
Et flores viridi portendunt arbore fructus?

Ah!

Si enim, inquit, eſt aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod poteſtas humana efficere non poſſit; eſt certe id, quod illud efficit, homine melius: Atqui res cæleſtes, omneſque ea, quarum eſt ordo ſempiternus, ab homine confici non poſſunt: eſt igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quam Deum? Etenim ſi Dii non ſunt, quid eſſe poteſt in rerum natura homine melius? In eo enim ſolo ratio eſt, qua nihil poteſt eſſe præſtantius. Eſſe autem hominem, qui nihil in omni mundo melius eſſe, quam ſe putet, deſipientiæ arrogantiæ eſt. Ergo eſt aliquid melius. Eſt igitur profecto Deus &c.

(1) Ab exiſtentia hominis clariſſime deducitur eſſe Deum. Si enim repetitis rationibus requiratur, unde homines nati; certe ad illud principium veniendum eſt individuum, ac per ſe exiſtens, *ex quo omnia facta ſunt*. Quare Deut.cap.XXXII. *Haccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens? Numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creavit te? Memento dierum antiquorum; cogita generationes ſingulas: interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.*

Ah! Deus autumnum, ver, brumas, & regit æſtus (1)!
Navita Neptuni proſcindit viſcera. Ventis
Turbine conflato ſurgentibus, æthera nunc, &
Nunc ſtygias viſus tremefactus tangere arenas.
Sed convulſa notis, cur non, ait, undique fines
Præterit unda? Deus, Deus ipſe & marmora frænat.
Abdita dum terris foſſor ſua munera avaris
Excavat: heu! quid agis, mortalis, concrepat ille,
Aurea qui ſperas conflata ex igne metalla!
Ipſe Deus poſuit montis ſub tegmine lamnas.
Navita doctuſne, aut foſſor? Sapienſque bubulcus?
Anne mathematica didicere hæc forte magiſtra?
Sed quia mortales ſuperant hæc omnia vires;
Sic Deum ineſſe ajunt (2). Nam qui ſapiunt, ſibi nil jam
Ante oculos ponunt, niſi *contingentia* mundi:
Quæ niſi jam certe ex ſe exiſtunt, & poterunt non
Eſſe ſimul; vires repetant aliunde, neceſſe eſt:
Scilicet ex illo, qui per ſe exiſtit, & unde
Ipſa creatarum potis eſt *eſſentia* rerum (3).

Quid

(1) Ex iis etiam, quæ ab hominibus aguntur, videntur, pertractantur, exiſtentia Dei clare deducitur. Unde Cic. *ib. n.* 7. luculentiſſime ſcripſit: *Illud autem, quod vincit hæc omnia, rationem dico, & , ſi placet pluribus verbis, mentem, conſilium, cogitationem, prudentiam, ubi invenimus? Unde ſuſtulimus? An cetera mundus habebis omnia, hoc unum, quod plurimi eſt, non habebit? Atque certe nihil omnium rerum melius eſt mundo, nihil præſtabilius, nihil pulcrius: nec ſolum nihil eſt, ſed ne cogitari quidquam melius poteſt. Et, ſi ratione, & ſapientia nihil eſt melius, neceſſe eſt, hæc ineſſe in eo, quod optimum eſſe concedimus.* Et paullo poſt concinnius: *Quid vero? tanta rerum conſentiens, conſpirans, continuata cognatio, quem non coget ea, quæ dicuntur a me, comprobare? Poſſetne uno tempore floreſcere, deinde vicissim horrere terra? Aut, tot rebus ipſis ſe immutantibus, ſolis acceſſus diſceſſuſque ſolſtitiis bruniſque cognoſci? aut æſtus maritimi, fretorumque anguſtiæ ortu, aut obitu lunæ commoveri? aut una totius cæli converſione curſus aſtrorum diſpares conſervari? Hæc ita fieri omnibus inter ſe continentibus mundi partibus profecto non poſſent, niſi ea uno divino, & continuato ſpiritu continerentur.*

(2) Cicero *de Natur. Deor.* lib. I. num. 36. *At eos vituperabas, qui ex operibus magnificis atque præclaris, quum ipſum mundum, quum ejus membra, cælum, terras, maria, quumque horum inſignia, ſolem, lunam, ſtellaſque vidiſſent, quumque temporibus maturitates, mutationes, viciſſitudineſque cognoviſſent, ſuſpicati eſſent aliquam excellentem eſſe præſtantemque naturam, quæ hæc feciſſet, moveret, regeret, gubernaret &c.*

(3) Ab exiſtentia contingenti, Dei etiam exiſtentia demonſtratur. Sic D. Thom. lib. *con. Gen. cap.* XV. *n.* 4. *Videmus in mundo quædam, quæ ſunt poſſibilia eſſe, & non eſſe; ſicut generabilia, & corruptibilia. Omne autem quod eſt poſſibile eſſe cauſſam habet, quia quum de ſe æqualiter ſe habeat ad duo, ſcilicet eſſe, & non eſſe, oportet, ſi ei approprietur eſſe, quod hoc ſit ex aliqua cauſſa.*

Et

Digitized by Google

Quid nunc Enceladus trunci jaculator acerbus
In Divum arma parat? *Peperit*, notat, *omnia motus*:
Non ſine lux motu eſt, pluviæ, nec ſidera cæli;
Nec tempeſtates, nubes, roreſque, notique:
Ulla nec extenſis currentia flumina campis;
Nec pratis herbæ, aut vivi pecudeſque, homineſque;
Undique mors, terror, luctus, chaos undique. Namque
Hæc ſine continuo marceſcunt omnia motu (1).
O te felicem, dederunt cui numina clare
Magna loqui! Hæc lippis, hæc & tonſoribus æque
Judico clara ſatis. Sed num tu in corpore motum
Sic reputas, habeatur ut hinc *eſſentia*? Non hoc.
Nam ſtabile, & motum poteris tu fingere corpus:
Immo quum ſit iners; externis ictibus obſtat
Sic, ut materies fuerit majorque, minorque.
Non ergo motus propria eſt *eſſentia*: & inde
Corpora compellens vis eſt ſine corpore cauſſa (2).

An

Et hoc eſt Deus, quum ſit prima cauſſa. Sed ne aliquid hic deeſſe videatur, cetera pro Dei exiſtentia ab eodem Cicerone deſumpta conſulto apponuntur: qui *ib. lib.* II. *num.* 5. ſic ſcriptum reliquit: *Cleanthes quidem noſter quatuor de cauſſis dixit in animis hominum informatas Deorum eſſe notiones. Primam poſuit eam, de qua modo dixi, quæ orta eſſet ex præſentione rerum futurarum. Alteram quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quæ percipiuntur cæli temperatione, fæcunditate terrarum, aliarumque commoditatum complurium copia. Tertiam, quæ terreret animos fulminibus, tempeſtatibus, nimbis, nivibus, grandinibus, vaſtitate, peſtilentia, terræmotibus, & ſæpe fremitibus, lapideiſque imbribus, & guttis imbrium quaſi cruentis, tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus: tum præter naturam, hominum pecudumque portentis: tum facibus viſis cæleſtibus: tum ſtellis iis, quas Græci cometas, noſtri concinnatas vocant: quæ nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum prænunciæ: tum ſole geminato, quod, ut e Patre audivi, Tuditano, & Aquillio conſulibus, evenerat: quo quidem anno P. Africanus ſol alter extinctus eſt. Quibus exterriti homines vim quandam eſſe cæleſtem & divinam ſuſpicati ſunt. Quartam cauſſam eſſe, eamque vel maximam, æquabilitatem motus, converſionem cæli, ſolis, lunæ, ſiderumque omnium diſtinctionem, utilitatem, pulcritudinem, ordinem: quarum rerum adſpectus ipſe ſatis indicaret, non eſſe ea fortuita &c.*

(1) *Enceladi* nomine Tolandus intelligitur, qui poſt Epicureos ex motu ſine Numine fortuitam hanc rerum diſpoſitionem componi potuiſſe dicebat.

(2) Sed hanc Tolandi ſententiam confutavit Valſecch. *ib. lib.* I. *cap.* II. *num.* 5. quum ait: *An dicent motum hunc eſſe eſſentialem materiei proprietatem? . . . . Proprietas* eſſentialis *rei non eſt illa, ſine qua res ſtare poteſt, vel ſine qua ſaltem poteſt concipi. Iam concipere poſſumus corpus vel motum, vel quieſcens: Præterea ipſa experientia in neutram partem propendens nobis oſtendit corpus motum, & quietum, immo reſiſtens cuivis extrinſeco impulſui vi tanta inertiæ, ut loquuntur recenſiores philoſophi, quanta eſt materies, qua conſtat. Non eſt igitur motus eſſentialis corporis proprietas. Hiſthæc ergo cauſſa motus debet eſſe ſubſtantia incorporea.*

An *niſum* jactas (1), verbis quo quæſtio eiſdem
Hinc redeat? Niſu ſimili quandoque Priapus
Diffiſſa crepuit nate (2). Quid vis rancida? fœtent.
Quis dictis alios referet Rhœcumque, Mimamque,
Sæpe inimica Deo ſumentes tela gigantes (3)?
Quot ſenſus animi! ut variat ſententia! Quorſum
Sic tu, mortalis, morituro pectore cæli
Numina tentabis? Difrupta eſt corpore magnum
Rana imitata bovem. Quorſum ſuper æthera, demens,
Ferri mente cupis? Signavit nomine lymphas
Icarus icarias. Quod ſi tu pellere credis
Sedibus æthereis hominum Patremque Deorum;
Jupiter omnipotens ſublimi e ſede caducum
Tartareas ſubito rediget te fulmine ad oras.
Ecquid enim poſſent unquam ſine lege ruentes
Mortales omnes ſuprema in Numina? In orbe
Gens erit inde tamen, fœda quæ fronte negabit (4)
Unum,

(1) Idem *ib.* ſic ſequitur: *Neque vero dicatur eſſe de eſſentia corporis, ſi non motus* actualis, *ſaltem propenſio, vel tendentia ad motum, quam niſum Tolandus ipſe huius pulcherrimi inventi patronus appellat . . . Concipi enim perfectiſſime corpus poteſt non ſolum ſine motu* actuali, *ſed etiam ſine hoc* niſu . . . *Deinde vero quæritur, num ſit* niſus *hic ad motum in certum latus particulare, an ad quodlibet ſimul? Nil eſt medii. Si reſpondetur, in corpore eſſe* niſum *ad motum latus particulare certum verſus, potius quam aliud verſus; res omnino falſa eſt: quum corpus neque ſe habeat ad quodlibet motus genus; & quum nihil ſit in ipſo, aut in ſingulis eius partibus, quod in ipſum cogere poſſit, ut ad hanc potius partem nitatur, quam ad illam ex neceſſitate, & ex eſſentia. Hoc ergo illi ex aliquo extrinſeco principio advenire deberet; quod & hypotheſim evertit libertinorum, & theſim meam confirmat. Si vero dicatur* niſus *eſſe in corpore ad motum quoquoverſum, dicitur quod eſt contradictorium, & quod hypotheſim deſtruit. Tendentia enim ad motum quoquoverſum non poſſet in corpore gignere, niſi perpetuam quietem omnium partium. Ergo quum non ſit de eſſentia corporis motus, aut* niſus *potius ad hanc, quam ad illam partem, ſed debeat neceſſario ab extrinſeco principio incorporeo, materiæ domino &c. imprimi; exiſtentia huius principii evidenter demonſtratur &c.* Vid. Card. Polignac. in *Anti-Lucretio lib.* V. Newton. *Philoſoph. natur. princip. math. definit.* III.

(2) Vid. Horat. *lib.* I. *Satyra* IX. ad calcem.

(3) Sed hic varias Mopertuiſii *Eſſai de Coſmol. avant-prop. p.* 8. Lucretii, Rouſſoii, aliorumque Philoſophorum, qui Rhœci, Mimæque nomine intelliguntur, merito præterimus opiniones, quæ ad eadem pæne principia reducuntur. Sed legendus Alexander Pope Poemate *de moralibus principiis*, eiuſque Interpr. Anton. Philippus Adamus, qui Od. præclariſs. *de Religione* ſubſcripſit.

(4) Hæc atque alia Dei attributa, quæ ipſum per ſe exiſtere clariſſime demonſtrant, egregie pertractavit D. Thomas *in prima parte Summæ Theologiæ*, & in *libro* I. *contra Gentes*: quæ etiam delibavit Valſecch. pluries cit. *lib.* I. *cap.* II. *num.* 12.

Digitized by Google

Digitized by Google